DE SEXTO-QVÆSITIS,

RESVRRECTIONE MVLTIPLICI: ÆNIGMATE MIRABILI: MORBORVM ENORMI CATASTROPHE: DIARIA PHLEBOTOMIAM RENVENTE: MVLIEBRI COMPLEXIONE CALIDIORE VIRILI.

RESPONSA

FORTVNII LICETI

GENVENSIS EX L. COM.
In Archigymnaſio Patauino Medici Theorici Supremæ Sedis

Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo D.

D. IOANNI PISAVRO

Eq. D. Marci Procuratori III Viro Literario

DICATA.



BIBLIOTECA ...

VTINI, Ex Typographia Nicolai Schiratti. MDCIIL.
ANNVENTIBVS SVPERIORIBVS.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO
Et Excellentiſſimo D. D.
IOANNI PISAVRO
Eq. D. M. Proc. ac III Viro Literario
FORTVNIVS LICETVS B. A.

SPlendor ille virtutis Heroicæ, quo Venetorum Summates in Orbe mortalium cluentes miræ ſuſpiciuntur, non tam ab auita claritudine, quam a proprijs dotibus in Te luculenter effulgens, Præſtantiſſime Senator, vt olim frequentius excitauit Sereniſſimam Rempublicam ad excelſiores dignitates omnium generum Tibi conferendas, & ad ingentia ſua negotia domi foriſque perſpicaciſſimæ Tuæ prudentiæ committenda: Sic omnes atque ſingulos homines bene-cordatos in Tui cultum & obſequium nunquam non allicere conſueuit. Me vero præſertim eximia Tua comitas iſta, nexu prorſus indiſſolubili cum excellenti magnanimitate coniuncta, qua literas pro-

mouere ſoles, & abunde literatis hominibus patrocinari, ſemper in Tui venerationem ſuaui quadam violentia volentem ſatagit attrahere, ſtimulosque vehementioris deſiderij Tibi placendi, maioris obſequij momenta præſtandi, Tuamque tutelarem gratiam plane demerendi, iugiter animo meo non deſinit incutere. Quapropter anxius atque ſolicitus quo munere mihi promereri valerem vt tantus Heros me benigne ſuſciperes in clientelam, beneuolentiaque Tua ſingulari ſuſceptum foueres efficaciter: hoc demum conſequi me poſſe cogitaui quopiam literario munuſculo, publico tamen, & argumenti minime vulgaris Excellentiæ Tuæ conſecrato. Spero namque Te, Numinis ad inſtar, pro modulo facultatum noſtrarum ſacrificia ſemper æſtimantis, vt ait [a] Ariſtoteles, in exiguo Donario, quod tholo templi Gloriæ Tuæ ſuſpendo venerabundus, inſpecturum immenſam voluntatis meæ propenſionem in Tui obſeruantiam: & meas iſtas meditationes *Reſponſorum de Sexto-Quæſitis* æqui bonique conſulturum. Vale diu feliciter, VENETÆ MAIESTATIS decus & ornamentum, Literariæque Reipublicæ dulce præſidium. Dabam Patauij e meo Scalumnæ Muſeo, Salutis Anno M DC XLVIII.

[a] 7. mor. Eud. c. 13.

INDEX
Et ſeries Capitum Operis.

PRæfatio. pag. 1

De Platonico Pamphilio, Plutarchicoque Theſpeſio, num vere ſurrexerint ex mortuis, an fabuloſe; deque propriè dicta reſurrectione mortuorum, an fieri ulla valeat puris naturæ viribus, Quæſitum. Cap. I. 2

Reſp. Liceti: De Reſurrectione, multiplicique illius differentia peragitur ex rei natura. Cap. II. 3

De vera Reſurrectione Pamphilij: cui mortuo monſtrata fuerunt omnia Iudicij poſtremi myſteria; quæ rediuiuus Ethnicis prædiceret ad eorum ſalutem. Cap. III. 17

De vera Theſpeſij Reſurrectione, cui defuncto monſtratæ fuerant animæ tum felices in gloria, tum purgatorij, tum damnatæ: quarum ſtatum Ethnicis ad ſalutem, diuino iuſſu ſignificaret. Cap. IV. 29

Colligitur ex allatis diſtincta Quæſiti de Reſurrectione declaratio, nouoque teſtimonio ſatis explicatur. Cap. V. 92

De Reſurrectione hominis, an poſſit eſſe naturalis quoad reunionem animæ cum corpore præſente ad eam diſpoſito. Cap. VI. 100

Reſp. Liceti: Hominis Reſurrectionem non eſſe ulla ex parte viribus naturæ poſſibilem, ſed ſimpliciter & abſolute ſupernaturalem. Cap. VII. 102

De Sepulchri Ferrarienſis Inſcriptione Aenigmatica Quæſitum. Cap. VIII. 108

Reſponſio Liceti de tenebricoſa Sepulchri Ferrarienſis Inſcriptione. Cap. IX. 111

De Morborum enormi cataſtrophe Quæſitum. Cap. X. 123

Re-

Reſponſio Liceti de morbo letali, morteque ſuccedente protinus ægritudini bene curata. Cap. XI. 134

De febre diaria ex infrigidatione: an eadem ſit cum orta ex conſtipatione: ac num in homine conſiſtentis ætatis, temperamenti calidi & humidi, circa finem hiemis expoſtulet vlla ratione ſanguinis miſſionem, Quæſitum. Cap. XII. 141

Reſponſio Liceti, Diariam ex frigore non coincidere cum ephemera ex conſtipatione: non poſtulare phlebotomiam, nec ratione præſeruationis a putrida, Claſſicorum omnium doctrina, & ratione, ſed ſolis balneis, & frictionibus, inunctionibus, rectaque diæta curandam: & primum agitur de diuerſitate conſtipationis, & infrigidationis ephemeras varias conſtituentium. Cap. XIII. 142

Ephemeræ febri, ex infrigidatione, quin & ex conſtipatione genitæ, proprie conuenire non poſſe ſanguinis miſſionem, ratio demonſtrans. Cap. XIV. 147

Hippocratem curare diarias alterantibus, non eductione ſanguinis. Cap. XV. 150

Galenum in curatione febris ephemeræ, tam ex infrigidatione, quam ex conſtipatione, reſpuere ſanguinis miſſionem, admiſſis ſolis alterantibus. Cap. XVI. 152

Aetius ephemeram febrem vniuerſim, & ſpeciatim a frigore natam, curat alterantibus, abſque ſanguinis miſſione. Cap. XVII. 157

Oribaſium ephemeram ex frigore, & conſtipatione, ſolis balneis, & alijs alterantibus curare, non ſanguinis vlla miſſione. Cap. XVIII. 158

Auicennam curare febrem ephemeram ex infrigidatione, ſolis alterantibus, non emiſſione ſanguinis. Cap. XIX. pag. 159

Rhaſen in diaria ex frigore non mittere ſanguinem. Cap. XX. 161

Auer-

Auerroem curare febrem ephemeram abſolutè, ſpecialimque natam ex frigore, ſolis alterantibus, & recta victus ratione, ſine phlebotomia. Cap. XXI. 162

Latini, præſertimque Celſus, & Patauinorum Saxonia, Sauonarola, & Capiuacceus, diarias curant alterantibus, & diæta, reprobata, & omiſſa ſanguinis miſſione. Cap. XXII. 164

De ſententia Patauij-Lectorum exterorum inſignium, ephemera febri ex infrigidatione, conſtipationeve, non conuenire phlebotomiam. Cap. XXIII. 169

Ephemeræ febri ex infrigidatione, ſeu ſi placet, ex conſtipatione genitæ, non conuenire ſanguinis miſſionem, ad præſeruationem, de Galeni mente. Cap. XXIV. 174

Eadem doctrina colligitur ex alio Galeni loco, decernentis, eductione ſanguinis curari non ſimplicem ephemeram, ſed morbum conſtitutum in tranſitu diariæ ad putridam, re diſtinctum ab vtraque. Cap. XXV. 182

Auicennam mittere ſanguinem itidem ſolum in ephemera ſpuria, ex obſtructione, ſeu oppilatione, propter humorum craſſorum abundantiam & ex nauſeatiua ſatietate, ac repletione; non autem in vera ex infrigidatione. Cap. XXVI. 186

Rhaſen ex Galeno quoque curare diariam prophylactice phlebotomia, non ortam ex infrigidatione poros cutaneos extrinſecus obſtipante, ſed ſolum ex humoribus craſſis & glutinoſis meatus intrinſecus obſtruentibus, & ex ebrietate. Cap. XXVII. 194

Augenium admittere phlebotomiam cum Galeno ſolum in ephemeris ex magna obſtructione a cauſa interna pendentibus, non ab externo frigore. Cap. XXVIII. pag. 196

Reſolutio Quæſiti ſummatim ex traditis colligitur. Cap. XXIX. 200

Hip.

INDEX CAPITVM.

Hippocrates aſſerens mulieres eſſe viris calidiores, quomodo ſit intelligendus, Quaritur. Cap. XXX. 201

Reſponſio Liceti, cenſentis locum Hippocraticum eſſe genuinum, veritatique conſentire de ſexuum temperamentis, abſque contradictione locorum aliorum Coi, decernentis ex aduerſo mulieres eſſe viris frigidiores. Cap. XXXI. pag. 203

Peroratio. Cap. XXXII. 209

FOR-

Digitized by Google

FORTVNII LICETI
Ad ſuum Librum Reſponſorum
DE SEXTO-QVÆSITIS
PRÆFATIO.

NOn erat operatio noſtra Reſponſorum De Quæſitis per Epiſtolas a Claris Viris, terminanda Quinto Volumine, ſed vrgenda quoque ſexto; quia ſenarius numerus labori, rerumque molimini deputatus eſt; quum & Deus ipſe ſummus Magni Mundi corpora ſex dierum numero a *creauerit: & Orpheus, myſtarum princeps,* a Gen. 1.
Hymnos iubeat non ante ſextam ætatem intermitti dum ait, referente Bongo de myſtica Numerorum ſignificatione: b de num. VI.

„ *Ætate in Sexta ſtudium finite canendi.*

Quoniam autem inter ætates ſexta numeratur Senectus; quæ labor c *& dolor, ac fere tota* d *morbus, neceſſario per morbum* c Pſ.89.
terminatur ad e *interitum; a quo tandem aliquando reſurrecturi ſumus ad vitam immortalem, vtinam felicem extra* d Aug. de catechiz. rud. lib.
miſerias æternas: Et quoniam Creationis diem ſextam dicauit maxime Deus omnipotens g *formationi primi cunctorum hominum, qui fuit omnium corporearum creaturarum* e Hebr. 8. f Iob 19. g Gen. 1.
vltima h *& præſtantiſſima: Cui ſpeciatim Deus interdixit eſum fructus arboris ſcientiæ boni & mali,* i *mortis pœnam comminatus, vbi præcepto talis abſtinentiæ non obtemperauerit: Rationi conſentaneum fore duxi iam ſeptuagenarius Sexto Volumine præſenti Quæſitis illis Reſponſa dare, quæ peragunt De Hominis Reſurrectione multiplici, de mirabili Epitaphio defunctæ mulieris, & de morborum enormi quadam cataſtrophe. Qua quidem contemplatione ſupplex oro Chriſtum Dominum, cuius hodie Feſtum Epiphaniæ colimus, vt Spiri-* h 2. de an. t.32. i Gen. 2. 3.

k Timot. 2 *tus Sancti gratia illuminet ſenſus & corda noſtra, nos k erudiens, lumenque veritatis in hoc opus noſtrum infundat, ad ſummi Dei gloriam, & Lectorum meorum vtilitatem.*

De Platonico Pamphilio, Plutarchicoque Theſpeſio, num vere ſurrexerint ex mortuis, an fabuloſe; deque proprie dicta reſurrectione mortuorum, an fieri vlla valeat puris naturæ viribus, Quæſitum. Caput I.

Excell. Viro Fortunio Liceto in Pat. Gymn. Profeſſori Primario D. Chryſanthus Solarius Cler. Reg. S. D.

MOrtalitatis meæ non immemor Mortuorum ſtatum ſæpe contemplor, & adhuc viuens, quæ ad Manes defunctorum ſpectant, libenter excipio. In puluerem rediturus puluerem diligo, meumque pectus ergà frigidos cineres nonnullos pietatis igniculos fouet. Hos ignes vt magis accenderem, Pentatheucum Mortuorum nuper exaraui, publicique iuris feci, in quo tum ex ſacris, tum ex profanis literis omnia fere, quæ ad pietatem erga Mortuos excitandam faciebant, non modico labore collegi. Sepulchra luſtraui, linteamina euolui, pollinctores adiui, cadauera inuiſi, omnia denique feralia expendi; & qui me noueram moriturum, ad Mortuos deſcendere non exhorrui. Nec mirum, hæc enim, vt meo indulgerem Genio, non ſine voluptate peregi: libentius enim quandoque, vt verum fatear, Mortuorum, aut legens, aut ſcribens, aut orans, quam viuentium conſuetudine vtor. Qua conſuetudine dum præteritis diebus fruebar, duo mihi occurrerunt Defuncti, qui apud plures Autores Gentiles feruntur rediuiui, Erus videlicet Pamphilius, & Theſpeſius Solenſis. Hi me diu reddiderunt ancipitem, & adhuc dubius hæreo, an vere diuina

uina virtute reſurrexerint, an potius hæc Reſurrectio ſit fabuloſum veterum commentum. Quapropter ſtatui te virum omni literatura ornatiſſimum conſulere, vt pro ea, qua polles doctrina, & qua præditus es humanitate, omnem ab animo meo repellas hæſitationem. Quamplurimas igitur benignitati tuæ habebo gratias, ſi ex te diſcam, an vera fuerit horum Mortuorum Reſurrectio, & an ſenſerint Gentiles, poſſe cauſam phyſicam mere naturaliter vitam impartiri defunctis. Vale, & literariæ Reipublicæ te diu incolumem ſerua. Placentiæ IV. Nonas Iulij M D C X L V I I.

Reſp. Liceti De Reſurrectione, multiplicique illius differentia peragitur ex rei natura. Cap. II.

Eruditione pietateq. Cl. Viro, D. Chryſantho Solario Cler. Reg. Fortunius Licetus B. A.

QVi tam luculenter vniuerſam Mortualium rerum theoriam in eruditiſſimo tuo Pentatheuco ſcripſiſti, Cl. Vir, quomodo flagitas a me de Mortuorum Reſurrectione difficillima Quæſita diſſolui? Num Erus ille, Theſpeſiusque vere defuncti reſurrexerint virtute diuina, vel fabuloſa ſint antiquorum commenta, quæ priſci narrant de illorum interitu? & num vere poſſit a cauſa mere phyſica mortuus ad vitam reuocari? Theologi præſtantiores, qualem te nouimus, munus eſt hunc nodum extricare, non Philoſophi, ac Medici, qualem eſſe me fateris. An ingenij mei vires imbecillas vis experiri? Qui tamen ſoleo non ſine rubore Theologo ſacerdoti voluntatis meæ labes vel non rogatus vltro confiteri, ad ſalutem animæ, Deique miſericordiam impetrandam, non verebor Theologo doctiſſimo mentis meæ

rudioris ignorantias explicare rogatus, ad veritatem doctrinæ conſequendam ex tua meorum dictorum vel approbatione, ſi rem acu tetigero; vel reprobatione, qua meus intellectus in viam ſapientiæ redigatur, ſi forte nunc ab ea deflexerit. Hacitaque fiducia plenus, tuæ iuſſioni parens, a poſteriori Quæſito lubet auſpicari, quod vniuerſalius eſt, de Reſurrectione ſimpliciter, an vlla puris naturæ viribus promoueri valeat. Profecto
a 20.de ciuit.c.20. Magnus ingeniorum apex D. Auguſtinus *a* reſurrectionis modum perfecte comprehendere ſe poſſe, quin & nos poſſe, negauit: Afferam tamen ingenue de propoſito, quæ mihi Genius obtulerit. Athenagoras quidem Athenienſis philoſophus, Chriſtianæ Fidei cultor antiquus, volumen integrum edidit, vt noſti, de Reſurrectione; in quo ſpeciatim agit de Mortuorum vniuerſali Surrectione, prodroma poſtremo Iudicio Mundi; docteque probare nititur, eam non eſſe præpotenti Deo impoſſibilem: non eſſe Deo ſummo indignam: eſſe rationi congruam cum ex parte naturę humanę, tum etiam ex parte Diuinæ Sapientiæ, Iuſtitiæque, recte Mundum gubernantis, & meritis cuiusque condigna retribuentis. In qua quidem contemplatione, prolixa ſatis ille ſemper vtitur qua Theologicis, qua moralibus, qua communibus ac omnino dialecticis argumentis, nec vſpiam adhibere videtur phyſicas, atque proprias rationes, quas a me requiris in præſentia, vir eximie. Quare nullas omnino ſuppetias habens ab illo, nunc ex rei natura mi-
Reſurrectio quid proprie. hi philoſophandum eſt. Reſurrectio quum nihil aliud ſit, quam mortui reditus ad vitam eiuſdem ordinis cum amiſſa in eodem numero viuente: Quumque motus omnis a terminis, intra quos fit, omnino ſpecificetur; etſi peculiari quadam ratione a termino, ad quem tendit, ma-
b 5. phyſ. t.4. xime determinetur, *b* Ariſtotele doctore; plane tot

erunt

erunt reſurrectionis ſpecies, ac differentiæ, quotuplex
erit mors atque vita in eodem numero ſuppoſito. Quum *Reſurrectionis differētia varia.*
autem mors ad vitam ſe habeat, vti priuatio ad actum,
ſiue habitum: & quum priuatio ſpecificetur, atque de-
terminetur per habitum & actum, ad quem refertur; ſi-
cuti rectum dicitur eſſe index obliqui *c* pariter, atque *c* 1. de an. t. 85.
ſui: propterea quot in eodem ſuppoſito mortali contige-
rit eſſe vitas, totidem in ipſo mortes; quotque vitarum
amiſſarum recuperationes, totidem in eo reſurrectiones
ineſſe poterunt. Equidem ex Ariſtotele ſumo, vitam *Vita ſpecies varia.*
multipliciter dici; primo quidem pro actione ab anima
prodeunte, tum generatim pro qualibet operatione;
1 ſcribit enim: *d Multipliciter autem ipſo viuere dicto, & ſi* *d* 2. de an. t. 13.
vnum aliquid horum inſit ſolum, viuere ipſum dicimus, vt
intellectus, & ſenſus, & motus & ſtatus ſecundum locum;
adhuc autem motus ſecundum alimentum, & augmentum,
& decrementum: tum etiam ſpeciatim pro nutritione, fun-
2 ctioneve vegetantis animæ; nam antea *e* ſcripſerat: *Vi-* *e* 2. de an. t. 3.
tam autem dicimus, quæ per ipſum fit, alitionem, augmen-
tationem, & diminutionem: ac inferius: *f Anima autem eſt* *f* 2. de an. t. 24.
id, quo viuimus, & ſentimus, & mouemur, & intelligimus
primo: vbi per viuere ſignat operationes animæ vegeta-
tricis contradiſtinctas a functionibus animæ tam ſenſi-
3 tricis, & motricis, quam intellectricis. Deinde vero ſu-
mitur vita pro eſſentia viuentis, ſiue pro eſſe ſubſtantiali
animatorum; de quo loquitur Ariſtoteles aiens: *g Ipſum* *g* 2. de an. t. 37.
autem viuere viuentibus eſſe eſt; cauſa autem, & principium
4 *horum anima*. Deinceps autem vita ſumitur pro poten-
tia operandi; quo nomine definit Ariſtoteles animam
eſſe primum actum corporis phyſici potentia vitam ha-
bentis, hoc eſt potentis operari; quum corpus, cuius ani-
ma eſt actus, vitam habeat neceſſario: dicit enim: *h Vn-* *h* 2. de an. t. 6.
de anima eſt actus primus corporis naturalis potentia vitam

ha-

i tex. 10. *habentis* : & mox : *i Non eſt autem quod abijcit animam, potentia exiſtens vt viuat, ſed quod habet* : Quum autem po- 5
tentia promouendi functiones animæ gemina ſit; altera
quidem proxima, & accidentalis; altera vero remota, ſi-
ue mediata, & eſſentialis; vtraque conſequens animam,
vitæ nomine donatur in allata definitione animæ. Præ- 6
terea vero vita dicitur ab Ariſtotele manſio animæ in
k de vit. & corpore cum caliditate naturali, dum infit: *k Generatio*
mor. c. 14. *igitur eſt prima participatio cum calido nutritiuæ animæ; vi-*
ta autem, manſio huius. Vltimo loco, nos fuſius in opere 7
l l. 2. c. 7. & noſtro De *l* Vita dudum oſtendimus, Vitam proprijſſime
ſeqq. ſumptam, eſſe coexiſtentiam animæ & corporis. Quum
itaque tot modis accipiatur vita; iam totidem ſumitur & 1
Mortis differentia varia. mors; primum pro priuatione functionum aliquarum ani-
mæ, non ſublata poteſtate denuo illas exercendi; quo
nomine ſomnus appellatur quædam mors, imago mor-
tis, & mortis frater, quia tollit quaſdam vitæ functio-
m 5. de gen. an. c. 1. nes, vt ait Ariſtoteles: *m Sed quæritur de prima genera-*
tione, vtrum vigilia præcedat, an ſomnus: quod enim profici-
ſcente ætate magis expergiſci viſuntur, contrarium, id eſt
Somnus vt ſit viuendi & non viuendi interluminium. *ſomnum principio generationis ineſſe probabile eſt. Tum etiam*
tranſitio de non eſſe in eſſe per medium fieri ſolet. Somnus au-
tem talis ſua natura eſſe videtur, vt viuendi & non viuendi
interliminium ſit; & neque omnino ſit, qui dormit; neque non
ſit: viuitur enim vigilia potiſſimum propter ſenſum. Quam
doctrinam corroborat in ſacro textu Diuina Sapientia,
n Ioan. 11. dum Ieſus Dominus dicit diſcipulis ſuis: *n Lazarus ami-*
cus noſter dormit; ſed vado vt a ſomno excitem eum. Dixe-
runt ergo diſcipuli eius: Domine, ſi dormit, ſaluus erit. Di-
xerat autem Ieſus de morte eius: illi autem putauerunt quia
de dormitione ſomni diceret. Tunc ergo Ieſus dixit eis mani-
feſte, Lazarus mortuus eſt. Hinc cæmeterium, quod pro-
prie Dormitorium ſignificat, locum Sepulchrorum ap-
pel-

pellat Eccleſia: Dormientiumque nomine paſſim a ſacris Autoribus appellantur Mortui. Somnus igitur atque mors vtcumque pro eodem ſumuntur. Porro Reſurrectio ab iſta morte communiter accepta, ſiue per ſimilitudinem, mere naturalis eſt, quamcunque cauſam illius conſideres; etſi ſuſcitatio Lazari a ſomno metaphorico, qui vera mors fuit, ſupernaturalis extiterit a præpotenti *Reſurrectio a cauſa naturali.*
2 Dei virtute. Deinde vero mors magis proprie dicitur, qua tolluntur omnes operationes materiales, intactis immaterialibus, cuiuſmodi ſunt actiones intellectus & voluntatis, quas edit anima corporeis organis non vtens, ſiue ſit in corpore, ſiue ſit a corpore ſeparata; quo nomine rapti mortales in ecſtaſim abſolutam, vel intellectu penitus occupato circa profundam meditationem obiecti valde intelligibilis: vel ipſa voluntate prorſus occupata circa deſiderium rei valde diligibilis; proindeque anima rationali tota circa proprium aliquod obiectum intenta, illius auxilio deſtitutæ portiones animæ humanæ inferiores, corporeis organis vtentes, motricem, ſenſitricem, vegetatricemque dico, functiones omnes corporeas intermittere coguntur; vnde homines in eam ecſtaſim rapti non ſentiunt vlli, non mouentur, non aluntur, ſed iacent, aut rigent, ac ſæpe pro mortuis habentur; qua de re celebrem hiſtoriam habemus Iouij, Poſſeuini, & aliorum aſſerentium Scotum ſubtiliſſimo præditum ingenio, profundiori meditationi adeo deditum fuiſſe, vt frequentiſſime conciderit in ecſtaſim; ferunt enim diem totum & amplius immobilem interdum ſedere ſolitum ſenſibus ſopitis, mente nimirum rapta in altiſſimarum rerum contemplationem; atque ita demum ab hominibus eius rei neſcijs feſtinato funere pro mortuo elatum; mox ab ecſtaſi ſolutum, atque clamantem in ſepulchro Franciſcus Florentinus ait e tumulo viuum eductum,

ctum, alij vitam ibi penitus obijſſe: quicquid ſit de hoc opinandum, certum illud eſt, ecſtaticos pro mortuis habitos aliquando fuiſſe, naturalique cauſa ſolutos ab iſta morte apparente redijſſe ad vitam priſtinam. Deinceps 3
autem ſunt, qui mortui habentur ex caloris magna deſtructione, ac tantumnon extinctione, ſine quo vegeto vita ſtare non poſſe videtur, præſertim humani; quod
o de vit. & mor. c. 13. vt ait Ariſtoteles, *o Honorabiliora animalium plurem aſſecuta ſunt caliditatem, ſimul enim neceſſe & animam aſſecuta eſſe honorabiliorem: honorabiliora enim hæc quam natura plantarum*. Eiuſcemodi apparenti morte diu obijſſe putatæ ſunt hiſtericæ mulieres & animantes hieme latentes
p 6. loc. aff. c. 5. plurimę, de quibus ita Galenus: *p Itaque ſi omnes ita affectæ mulieres interijſſent, ſimplex eſſet quæſtio; quum vero nonnullæ ſeruatæ videantur, geminam oriri quæſtionem neceſſe eſt, inueſtigantibus nobis tum diſpoſitionem, ob quam ſpirationis munus deperditur; tum vel magis, quomodo viuere poſſint, quæ nihil omnino ſpirant: Quippe in confeſſo eſt, & ſpirationem a vita, & vitam a ſpiratione ſeparari non poſſe, adeo vt viuentem non ſpirare, & ſpirantem non viuere ſit impoſſibile. Atque hæc quæſtio, quanquam ſuperiore difficilior videtur, non eſt tamen perinde difficilis: Quippe facile ſuſtinebitur, ſi latebris incluſa animalia conſideres, nulla apparente in ipſis ſpirationis nota. Hoc enim cognito perſpectiſque animalibus, vtpote frigidis; atque eo demonſtrato, quod maximus reſpirationis vſus eſt, vt intimus calor & refrigeratione, & ventilatione ſeruetur, haud ita difficile fuerit perpendere, exiguum illum calorem in ipſis derelictum, arteriarum*
q 1. aph. com. 15. *cordiſque officio conſeruari*. & alibi: *q Sic & animalium quæcumque ſunt natura frigidiora, ijs calor innatus a frigore hiberno ſuperatur, adeo vt fere extinguatur. Quare plurima ipſorum ſimilia mortuis conſpiciuntur, quum ſine ſenſu ac motu in latebris iacent: quædam vero prorſus in hoc ipſo affectu mo-*

moriuntur. Quod etiam hominibus contigiſſe referunt in ſua Moſchouiæ deſcriptione Alex. Guagninus, Piduxius, & Sigiſmundus ab Herbeſtein, & Cl. Citeſius in Abſtinente Conſolentanea, ſcribentes, *Lucomoriam vlterioris Sarmatiæ regionem incolentes quotannis 27. menſis Nouembris die, velut hirundines & ranas, præ intenſo brumali frigore mori: poſtea redeunte vere 24. Aprilis die, eos denuo reuiuiſcere*: quorum hiſtoriam nos *r* alibi latius attulimus. Verum enimvero pſeudomortui homines hi naturalem habuerunt ab apparenti morte reſurrectionem ex cauſa phyſica natiuum illorum calorem vegetante, atque ad conſueta vitæ munia reuocante. Sed vlterius in animali tanta caloris iactura fieri poteſt, vt non ſolum deleatur potentia proxima & accidentalis ad vitæ functiones obeundas, verum & eſſentialis remota; quod apibus & muſcis accidere monet Ariſtoteles aiens: *ſ Sed corrumpuntur hæc* inſecta, *& dicuntur ſuffocari, repleto ventre, & corrupto humido, quod in ſepto tranſuerſo; quapropter & in cinere demorata reſurgunt*: cui conſentit Plinius inquiens *t* de apibus: *ſunt qui mortuas, ſi intra tectum hieme ſeruentur, deinde Sole verno torreantur, ac ficulneo cinere toto die foueantur, putent reuiuiſcere. In totum vero amiſſas* (vt ſcilicet nec earum cadauer ſuperſit) *reparari ventribus bubulis recentibus cum fimo obrutis*. Columella ſimiliter de Apibus ait: *u Illud, quod Higinus maiores ſecutus Autores prodidit; ipſe non expertus aſſeuerare non audeo; volentibus tamen licebit experiri; ſiquidem præcipit apum corpora, quæ, quum huiuſmodi peſtis inceſſit, ſub fauis aceruatim enectæ reperiuntur, ſicco loco per hiemem repoſita circa æquinoctium vernum, quum clementia diei ſuaſerit, poſt horam tertiam in Solem proferre, ficulneoque cinere obruere. Quo facto, affirmat intra duas horas quum viuido halitu caloris animatæ ſunt; reſumpto ſpiritu in præparatum vas, ſi obijciatur*, irre-

r 1. de his qui diu viu. ſ. al. c. 6.

ſ de vit. & mor. c. 11.

t l. 11. c. 20.

u l. 9. c. 12.

4

irrepere. Michael Epheſius eundem locum Ariſtotelis
x com. in lib. de reſp. explicans de apibus infit: x *Atqui per multum tempus in aqua commorantes, non tandem viuunt; ventre namque opleto & ob humidi copiam in ſuccinctorio, id eſt inſiti caloris (humidum namque eſt inſitus calor) peſſum vadunt; corrumpitur enim ſimile a ſimil, vt pluribus locis eſt habitum; quum hoc quidem multum ſit, illud vero paucum: ſi quis vero illa ſub cinere cooperuerit, mediocriter calida, tepidave, & tantillum obiacuerint, exurgunt: extenuato enim humido alterno a cineris caliditate inſurgunt, vt pote minimo quouis auxilio adiuta. etenim & vermiculi caternatim egrediuntur, terra a Sole calefacta*. Theodorus item Metochita ſententiam eandem Ariſtotelis explicat de inſectis, quæ intereunt humore nimio extrinſecus hauſto ſuffocata; quo poſtea conſumpto a cineris caliditate, viua reſurgunt. D. Ba-
y hexem. homil. 8. ſilius etiam ait: y *Apes oleo madefactæ pereunt, meatibus obſtructis; aceto autem ſtatim affuſo, rurſus reuiuiſcunt, tranſitibus reſeratis*. Idipſum de muſcis affert Lucianus in-
z Encom. Muſc. to. 1. quiens: z *Deguſtat omnia præter oleum; mortem enim ei affert epotum oleum; & tamen breuis eſt vitæ*. ac mox: *Quod autem eſt maximum in natura muſcarum, non eſt ſilentio prætereundum, quod Plato in ſermone De anima, deque animorum immortalitate ſolum præteriſſe mihi videtur: mortua enim muſca ſuperinfuſo cinere riuiuiſcit, & noua ei generatio quadam, atque ab integro alia fit vita; vt vere perſuaſum ſit omnibus, quod illarum quoque immortalis eſt anima, ſiquidem & digreſſa reuertitur iterum, & agnoſcit & ſuſcitat corpus, muſcamque volare facit; & verificat de Hermotimo Clazomenio fabulam; quod ſæpe quum reliquiſſet eum anima, per ſe ipſam ibat peregre, deinde reuerſa implebat iterum corpus*. Idem
a l. 6. Hexam. c. 22. fere de Apibus aſſerit D. Ambroſius a ita: *ſi quis apes ſuperfundat oleo, propere necantur, eò quod obſtructis poris aereum ſpiramen illud haurire non poſſint; continuoque ſi quis*

ace-

acetum iis ſuperfundat, illico reuiniſcunt, eo quod vis aceti cito illos poros, qui concretione olei obſtruuntur, humore feratur aperire. Quæ quidem Ariſtotelis, & aliorum aſſertio de muſcis, & apibus, quomodocunque vere corruptis, & enectis, ſi vera eſt, næ magnum hinc haberi videtur argumentum de mortuorum animalium reſurrectione a cauſa mere phyſica, viribus naturalibus agente. Cuius argumenti vim vt eluderent, qui ſola vi ſupernaturali mortuorum reſurrectionem fieri ponunt; aſſeuerant vnanimes, apibus & muſcis id euenire non omnino vita defunctis, at ſolum ſopitis, ac ſemianimem non penitus extinctam naturam habentibus. Hanc opinionem ſecutus D. Tho. in huius loci commentario ſcribit; *b* ad mentem Ariſtotelis apes & muſcas, animalia inſecta in humido corrumpi non vere, ſed apparenter; *quia videntur eſſe mortua, ſed non eſt ita; ſicut apparent; quoniam ſi ponantur in cinere reſurgunt & viuunt; hoc autem non eſſet, ſi fuiſſent mortua.* Conſentit huic etiam ſententiæ Buccaferreus, & Leonicus. Quam communire poſſumus Ariſtotelis autoritate ſcribentis alibi, *c* fieri non poſſe vt reſurgant mortua animalium, dum id velut inconueniens deducit ex opinione dicentium animam generatim eſſe per ſe loco mobilem. Nos autem videntes Ariſtotelem de muſcis & apibus aſſerere quod *hæc* inſecta *corrumpuntur; & dicuntur ſuffocari, repleto ventre; & corrupto humido, quod in ſepto tranſuerſo; quapropter & in cinere demorata reſurgunt*; id inquam aſſerere nulla facta mentione temporis vel breuis, vel longi; pronunciatum Ariſtotelis indefinite cenſemus habere poſſe ſenſum vtrumque, tam de vera, quam de apparente muſcarum & apum morte; ſi namque breue tempus eſt quo ſuffocatæ in humore iacent, ac cito cineris, aceti ve remedio reſurgunt; illæ non vere mortuæ; ſed apparenter tantum enectæ, reſurgunt

b de vit. & mor. le. 12.

c 1. de an. t. 41.

non ab interitu eſſentiali ad vitam habitualem, ſed ab interitu apparente ad operationes vitæ, vt accidit anguibus hieme ſemimortuis in latibulo, qui verno tepore reuiuiſcere videntur, ad vitæ munia redeuntes; quorum ea non eſt proprie dicta reſurrectio. Sin autem apes, ac muſcæ totam hiemem alieno humore multo ſuffocatæ iaceant, vere corrumpuntur ac intereunt; nequeunte puſillo earum calore tamdiu noxij humoris vim tolerare, ac earum corporibus animulam in actum primum aſſociare; nam ſuffocatus calor extinguitur omnino. Quare dum verno tepore cinereque fotæ, Solisque caloribus veluti toſtæ reſurgunt, ad nouam quidem vitam interuentu nouæ generationis tranſitio fit; ſed non quia ſit earum anima immortalis, quæ ſeparetur a corpore, rurſusque regrediatur in corpus, vt fabulatur Lucianus, falſo dicens eas vera reſurrectione ad vitam redire: ſed quia fit nouarum apum & muſcarum ex demortuarum cadaueribus generatio ſpontanea in eadem ſpecie; ſiquidem vera reſurrectio eſt eiuſdem numero viuentis reuocatio ad vitam, non autem alius viuentis noua productio ex alio vita defuncto: Quomodo vero contingat hoc in apibus, abdita res eſt; attamen ex ijs, quæ de

d l.3.c.54. Spontaneo *d* viuentium ortu dudum inuulgauimus, explicari poteſt; oſtendimus enim experientia docti, mures ex murium cadaueribus in eadem ſpecie ſponte naſci; ſimiliter apuas ex apuarum corruptarum colluuie: formicas e formicarum morticinis: lumbricos, vermesq. pariter e ſuæ ſpeciei cadaueribus. Quorum ſane nouorum viuentium ex cadauere priſtini viuentis generatio ſpontanea eſt; non autem priſtini viuentis eiuſdem numero reſurrectio; quia in cadauere cum aliquo gradu caloris adhuc latens, vt in vaſe, non amplius animans anima priſtina, labefactata ſic vt corpus minus diſpoſitum viuificare

Spontanea generatio apum ex mortuarum corporibus explicatur.

care nequeat; nimirum non adeo paſſa vt in aliam viliorem ſpeciem degenerauerit; ſed adeo ſolum, vt intra eiuſdem ſpeciei latitudinem in indiuiduum imperfectius abierit: non ſecus ac in vtero feminæ conceptus maſculeus labefactata vi formatrice forte degenerat in femineum, perfectius indiuiduum in imperfectius eiuſdem ſpeciei: ſic inquam anima inſecti labefactata in ſua ſpecie degens in cadauere velut in vaſe, nil illi tribuens; quia forma materialis eſt, dependens a conditionibus materiei, ex qua phyſice deducta fuit; vt ad materiei labefactationem labefactatur; ſic ad materiæ perfectionem perficitur; ac vt materia cadaueris in genere miſti non eſt omnino idem numero indiuiduum, quod erat prius ſub forma viuentis; nam aliud eſt miſti viuentis temperamentum ab eo quod remanet in cadauere; aliud inquam numero in eadem ſpecie; temperamentum autem eſt forma miſti, *e* Ariſtotele doctore: quare anima viuentis apis, hac moriente, degenerat in aliam numero animam ignobiliorem eiuſdem tamen ſpeciei; ſiquidem Ariſtoteli *f* definiuntur vnum numero eſſe, quorum eſt eadem materia numero: quum igitur non ſit eadem numero materia proxima viuentis, & cadaueris; nec eadem anima numero poteſt eſſe viuentis, & remanens in cadauere velut in vaſe. Quod autem anima poſſit in corpore reperiri velut in vaſe, ipſum non actuans, late dudum probauimus agentes *g de Spontaneo viuentium ortu:* & alibi; *h De Anima ſubiecto corpori nil tribuente.* Quod autem anima vnius ſpeciei valeat in aliam diuerſæ ſpeciei degenerare, viciſſimque in aliam nobilioris ordinis attolli, fuſe quoque iam oſtendimus experimentis obſeruatum animaduertentes tum ex tritico ſato lolium enatum in humo non ita bonæ naturæ; viciſſimque triticum exortum e ſato lolio in terra melioris conditionis: tum auenam

e 1 de gen. t.86.

f 5.meta. t.12.

g l.2.c.14.

h cap.15. & ſeqq.

i l.de ſp.vi. or.c.26.27 & l.4.c.31.

nam in triticum mutatam, & e contra triticum in auenam; nam autore *m* Theophraſto ſtirpes pleræque promiſcue degenerant, viciſſimque melioreſcunt, ſiſymbrium in mentam, triticum in lolium, tipha ſemenque mutantur in triticum. Quum itaque magis diſtet indiuiduum vnius ſpeciei ab indiuiduo alterius, quam duo indiuidua vnius ſpeciei inter ſe; proptereaque facilior ſit in his, quam illis commutatio; certe poteſt vnum viuens in aliud eiuſdem ſpeciei commutari. Ceterum & hęc in plantis, ac in animalibus obſeruauit Ariſtoteles non *n* ſemel euenire, dum planta vna ſectione fit plures, & inſectum diuiſione multiplicatur; quæ viuentia multiplicata plura numero ſunt eiuſdem ſpeciei tum inter ſe, tum cum viuente nondum diuiſionem paſſo. Sic ergo anima viuentis apiculæ, dum hæc oleo necatur, abit in formam imperfectiorem non actuantem ſubiectum corpus; mox exſiccata materia melioreſcit in perficientem alteratum corpus; adeoque mutatur vtrobique in aliam numero diſtinctam; vnde ſurgens apis ex mortua non eſt eadem numero cum priore viuente, ſed alia, ſpeciei tamen eiuſdem, ſpontanea generatione producta ex prioris cadauere. Quocirca vere non habetur viribus naturæ mortui inſecti reſurrectio, contra placitum Luciani, ſed noui productio; vere decernente Ariſtotele, *o* fieri non poſſe phyſice vt reſurgant mortua animalium, quum natura non agnoſcat *p* mutationem a priuatione tali ad habitum. Itaq; noua eſt anima muſcæ reſurgentis ex cadauere, nouam muſcam in eſſe conſtituens, non priorem eandem numero reſtituens; quia prioris viuentis muſcæ, dum hæc interit, anima degenerat in indiuiduam animam imperfectiorem, quæ materiam non actuat, ſed in ea continetur deliteſcens vt in vaſe; quum materialis omnino varietur ad materiæ varias conditiones; iterum, ea ma-

teria

m 2. de hiſt. pl. c. 5.

n 1. de an. t. 93. & 2. de an. t. 20.

o 1. de an. t. 41.

p Prędic. de oppoſit.

teria perfectionem quandam a Solis cinerisque teporibus acquirente, melior efficitur ac in perfectiorem vertitur in eadem ſpecie, vnde materiam denuo perficiens actuat in nouum inſectum numero diſtinctum a priore: Formas autem in eadem ſpecie numero diſtingui ſola maioris, minorisque perfectionis varietate, notiſſimum eſt in animabus rationalibus. Apertum ergo, ratumque ſit, veram animalis inſecti mortui reſurrectionem fieri nullo modo poſſe a cauſa mere phyſica, ſed ſolum a ſupernaturali virtute Dei omnipotentis. Idem aſſerendum eſt de puluere Reſurrectionis appellato; ſiquidem Chimici, Pariſienſes præſertim, ex combuſto roſarum ſtipite ſalem eliciunt, eumdemque cum ſpiritu eiuſdem inflammabili coniungunt, additisque cineribus depuratis eiuſdem plantæ, puluerem illum concinnant, quo in terram conie cto, etiam artificioſo caloris gradu, intra breue tempus eiuſdem ſpeciei roſam excitant; propterea puluerem Reſurrectionis vulgus appellat. Ita quidem loquendum, vt multi, decreto * Philoſophi, ſed ſentiendum, vt pauci. Roſa nata ex eo puluere, non vere rediuiua prior illa eſt e morte ad vitam eadem numero reuocata, ſed noua roſa genita ex principio plantæ ſeminali reſidente in combuſtæ roſæ ſale, cineribus, atque ſpiritu, velut in vaſe; nam ſeminale principium diſperſum eſt in omnibus plantæ partibus, vt conſtat ex inſitionibus, quæ fiunt e quacumque ſtirpis particula. Seminale vero principium id coniectum in terram, fotumque debito gradu caloris, non emortuam plantam ad vitam reuocat, ſed nouam ſtirpem roſæ producit: Quare vere non eſt puluis Reſurrectionis defunctæ roſæ, ſed puluis generationis nouæ roſæ prolificus. Si vero demum, extincto caloris eo gradu, qui neceſſarius eſt ad animam corpori iunctam conſeruandam, vel vt in vaſe, defierit anima manere penitus

Puluis Reſurrectionis quid apud Chimicos.

* 2. top. c. 2

nitus

nitus in corpore; proindeq; vere mortuum fuerit animal, & homo proprie defunctus, eo quod anima rationalis a corpore vere ſeparata ſit, & motiua, ſenſitiua, vegetaliſque penitus extincta; quia vel in ijs etiam vtcumque ſuperſtitibus in humano corpore, ſola rationalis ab eo ſecreta fuerit; iam nulla cauſa phyſica reperiri poterit, quæ mortui reſurrectionem proprie dictam promouere valeat; etenim Natura nequit extinctas animas vegetales, ſenſitrices, ac motiuas eaſdem numero regenerare, neſciens iſtum regreſſum a priuatione ad habitum: neque valet animam ſeparatam ad corpus denuo reducere; quum Natura non poſſit mouere loco niſi ſubſtantias corporeas, extra quarum ordinem eſt anima ſeparata. Sed huiuſcemodi reſurrectio mortuorum eſt opus omnipotentiæ Diuinæ; quæ ſola poteſt tum ſupernaturali motu traducere ſubſtantias incorporeas de vno ad alium locum, ſiue miniſterio creaturæ cuiuſque ſibi placitæ; nam Angelorum bonorum opera portata fuit anima mendici Lazari in ſinum Abrahæ, malorumque Dæmonum Diuinę Iuſtitię miniſtrorum tracta fuit anima diuitis Epulonis in infernum. Solaque diuina virtus poteſt, vt extincta corpora mortuorum igne conſumptorum eadem in carne numero reſtituere; ſic etiam eaſdem numero vegetales, ſenſitrices, atque motrices animas denuo reparare; quia Deus qui cuncta pridem ex nihilo creauit; quique *viuificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*; vt ait q Apoſtolus: poteſt nullo negotio numero eaſdem animas producere; quæ iam extinctæ fuerint. In reſurrectione ſiquidem mortui Lazari r quatriduani Deus, partes animæ humanæ tum vegetalem, ſenſitricem, ac motricem, quæ non ſunt in corpore fætenti, putredineque iam in elementa abeunti, ſed ante putrorem extinctæ fuerunt, efficaci ſermone vocans

q Rom. 4.

r Ioan. 11.

cans reuocat ad eſſe prorſus eaſdem numero, tum rationalem non amplius in cadauere degentem, ſed ad limbum antea delatam, efficaci verbo vocat ad corpus iterum animandum. Pariter in reſurrectione filij viduæ, qui *f* ferebatur ad tumulum, recenti cadaueri, fortaſſis etiamnum habenti partes animæ irrationales, ſaltem veluti vas, imperauit animam rationalem iterum vniri Deus vocans ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, non fruſtra præcepit, *Adoleſcens, tibi dico, ſurge*. *f* Luc. 7.

„ Re namque ſola hac ipſe priuatur Deus,
„ Vt facta minime infecta poſſit reddere

quod ab Agathone recte dictum ſuſcipit *t* Ariſtoteles; cui propterea Deus poteſt mortuos ad vitam reuocare, mortuorumque pariter animas vegetales ac ſenſitrices omnino non exiſtentes ad eſſe reſtituere. Sic igitur arbitrandum eſt, veram mortui reſurrectionem nullo modo fieri poſſe puris naturæ viribus, at eſſe munus proprium cauſæ ſupernaturalis, dexteræque Dei excelſi. Quæ mihi dicenda fuerant, inclyte Vir, ad primam tui Quæſiti partem vniuerſalem. *t* 6. eth. c. 2.

De vera Reſurrectione Pamphilij: cui mortuo monſtrata fuerunt omnia Iudicij poſtremi myſteria; quæ rediuiuus Ethnicis prædiceret ad eorum ſalutem. Cap. III.

AD alteram vero quod attinet, peculiarem Eri Pamphilij, Theſpeſijque Solenſis reſurrectionem, a Platone, Plutarchoque celebratam, num vera fuerit, an fabuloſa narratio. Prima quidem facie videtur Eri Pamphilij reſurrectionem Plato veluti fabuloſam enarrare, dum ipſam inter apologas enumerat, *a* inquiens: *Pla. Equidem tibi non Alcini apologum, ſed præſtantiſſimi viri Eri Armenij, genere Pamphilij, referabo. Qui quum occubuiſſet in* *a* 10. de Rep.

C *præ-*

prælio: ſublatis decimo die cadaueribus ceteris iam corruptis, integer quidem incorrupto corpore repertus fuit: domumque delatus vt ſepeliretur, duodecima iam ab obitu die, dum pyræ impoſitus eſſet, reuixit: & quæ interim viderat, retulit. Inquit ergo, poſtquam anima fuiſſet a corpore ſeparata, vna cum pluribus quendam in locum Dæmonum perueniſſe &c.

Lic. Euſebius Pamphilus, agens de Pręparatione Euan-
*l.11.c.18. gelica, * tanquam veram enarrationem hiſtoriæ recipit
l. 10. c.23. 24. hoc Eri Pamphilij prodigium; vt etiam Eugubinus ille
*l.3.c.51. Steuchus Epiſcopus Chiſamus, agens de Perenni * philoſophia: & Mazzonius in illuſtri ſua Danthis Defenſione; Theodoretusque * tractans De Iudicio. Quin & Olympiodorus, & Iuſtinus Philoſophus Martyr Ficino tantum non perſuaſerunt, apologum eiuſmodi fuiſſe veram narrationem hiſtoriæ; ſcribit enim Ficinus; *b Neque ab re reſurrexiſſe teſtatur Erum Pamphilium, pro ſalute patriæ in prælio mortuum; vt ſignificet eos, qui pro publico moriuntur bono, ad veram vitam reſurrecturos; quanquam ex multis vnus reſurrexit ad noſtram. Sed nunquid hiſtoria hæc eſt, an fabula? Hiſtoriam eſſe vult Iuſtinus Platonicus, martyrque Chriſtianus. Quod equidem non refellam. Vbi vero Plato apologum, fabulamque nominat, exponi poterit hiſtoriam dici poſſe fabulam, quoties vltra res geſtas auguſtiorem habet allegoriam. Quam ob cauſam Olympiodorus quoque ait Platonem hiſtorias & rationes ſæpe fabulas appellaſſe. Et quoniam manes & iuſtitiæ loca figurasque aliter in Phædro, aliter in Gorgia, aliter in Phædone, & hic alibique diſponit, perſpicue patet hæc præter loci formam, ſenſum quoque allegoricum continere. Vtitur autem hic circa reſurrectionem duodenario numero, qui ſphærarum mundanarum apud priſcos eſt numerus putantes octo ſuper quatuor elementa eſſe cælos; quaſi dicat opus eſſe virtute Diuina vniuerſi domina ad mortuum ſuſcitandum; idque interdum ad hominum doctrinam diuina*

*: l.11.

b in arg. 10 de Rep.

pro-

prouidentia fieri. Ceterum Ariſtoteles videtur arbitrari conſimilem narrationem non eſſe fictitiam fabulam, ſed veram narrationem; haud continere tamen propriiſſime dictam defuncti reſurrectionem, ſed excitationem a ſomno viri, qui dormiens animi deliquium paſſus fuerit, & in ſomno mirabilia quædam viſa perceperit animo; dicit enim; *c Iam autem facta fuit imaginatio quibuſdam, qui animi defectum fortiter paſſi ſunt. Hoc igitur aliquam habet dubitationem. Si enim contingat dormire eum, qui animo deficit, continget vtique ſomnium eſſe & ipſum phantaſma. Multa autem ſunt, quæ dicunt qui vehementer animo defecerunt, & qui viſi ſunt mortui eſſe. De quibus omnibus eandem eſſe rationem exiſtimandum eſt*. Vbi Philoſophus in hiſtoria vera ponit apparentem mortuum, & apparentem reſurrectionem; cuius cauſam opinatur naturalem, non abſolute negans viſorum in ſomno cauſam eſſe potuiſſe ſupernaturalem; cauſa quidem phyſica fuit, animi deliquij metus in Ero Pamphilio, qui timore mortis in acie cecidit inter mortuos animo deficiens: Cauſa fuit item naturalis ſomni, ſi ſomnus eum occupauit in animi deliquio; ſed quod in ſomno viderit admirabilia, quæ poſtea retulit, id potius vel ex Ariſtotele mihi referendum videtur in cauſam ſupernaturalem, quam in phyſicam: Ariſtoteles enim agnouit in homine duos credendi modos, vnum quidem naturalem, quem humanum appellat; alium vero ſupernaturalem, quem dicit humano *d* validiorem; qui quidem eſt per diuinam reuelationem in ſomnis; cuius notitiam habuiſſe Philoſophum teſtatur Sextus Empiricus aſſerens: *e Ariſtoteles enim dicebat ex duobus principijs ortam eſſe Dei notionem inter homines, nempe ex ijs, quæ in anima accidunt, & ex ſublimibus: ex ijs, quæ in anima accidunt, propter diuinos eius in ſomnis afflatus, & diuinationes: Quando enim, inquit, in ſomnis*

C 2 *ani-*

c de ſom. & vig. c. 4.

d 2. cæl. t. 34.

e 8. adu. math. c. 1.

anima per ſe fuerit, tunc ſua propria recepta natura, & diuinat, & futura prædicit; talis eſt etiam dum in morte ſeparatur a corporibus. Admittit enim Homerum quoque Poetam, vt qui hoc obſeruauerit; fecit enim Patroclum quidem, dum interimeretur, prædicentem cædem Hectoris, Hectorem autem Achillis. Verum & Ariſtotelem, dum de dormientibus in animi deliquio loquitur, ad alios, quam ad Erum Pamphilium reſpexiſſe, nimirum ad ebrium illum Liparitanum, cuius meminit in Admirandis Auditionibus, oſtendi
f adm.aud. 96. facile poteſt, etenim ait; *f Quum quidam ebrius ante Solis ortum eo in ſpecu obdormiſſet, quem ſerui eius inueſtigabant, tres dies integros cubauit; quarta vero luce domeſticis inuentus eſt: qui quum ceu mortuus a domeſticis haberetur, ad peculiare ſui ſepulchrum delatus fuit: ſed repente ſurrexit, omniaque, quæ ſibi in eo ſomno euenerant, aſtantibus enarrauit.* Profecto potuit ebrius iſte multitudine vaporum craſſiorum ad cerebrum elata diuturnum ſomnum ad tertiam, vel quartam diem producere: Sed in Ero Pamphilio ſobrio, viroque preſtantiſſimo, & in pugna cum hoſtibus vel nulla, vel exigua potuit eſſe ſomniferorum vaporum copia; quocirca defectus animo metu mortis in ſomnum duodecim dierum incidere minime potuit: Quare non fuit apparentia naturalis dormienti, ſed ſupernaturalis vel reuelatio velut eccſtatico; vel etiam vere mortuo per ſeparationem animę rationalis a corpore, in quo remanſerint inferioris animæ partes materiales toto illo tempore vel in actu primo nil operantes, vel vt in vaſe ſubiecto corpori nil omnino tribuentes; niſi velis illas etiam enectas paulo poſt animæ rationalis egreſſum. Quæ tandem diuina prouidentia iuſſioneque rurſum ad corpus reuerſa mortuum Erum animauerit vera ſupernaturalique reſurrectione. Quam quidem omnium conditor & ſaluator Deus in Gentilitate promouerit ad Gentilium documen-

mentum atque ſalutem; vt obſeruat S. Proſper aiens: *g Adhibita eſt enim ſemper vniuerſis hominibus quædam ſupernæ menſura doctrinæ; quæ etſi parcioris, occultiorisque gratiæ fuit; ſufficit tamen ſicut Dominus iudicauit, quibuſdam ad remedium; omnibus autem ad teſtimonium.* D. etiam Auguſtinus infit: *h Diuinitus prouiſum fuiſſe non dubito, vt ex hoc vno ſciremus etiam per alias gentes eſſe potuiſſe, qui ſecundum Deum vixerunt, eique placuerunt pertinentes ad ſpiritalem Hieroſolymam.* Inter quos non minus Erum Pamphilium; a Platone præſtantiſſimum virum exiſtimatum recenſere debemus, quam Heraclitum atque Socratem, de quibus ita Iuſtinus Martyr in Apologia pro Chriſtianis: *i Quicunque cum Ratione ac Verbo dixere, Chriſtiani ſunt, quamuis athei, & nullius numinis cultores habiti ſint, quales inter Græcos fuere, Socrates, & Heraclitus, atque iis ſimiles: inter barbaros autem Abraham, & Ananias, & Azarias, & Mizael, & Elias, & alij complures; quorum facta ſimul & nomina in præſentia recenſere, quia longum eſſe ſcimus, ſuperſedendum.* Et D. Chryſoſtomus de gentilibus ante Chriſtum natum infit: *k Poterant enim tunc homines etiam Chriſtum non confeſſi ſaluari; non enim hoc ab illis petebatur, ſed vt Idololatria abſtinerent, vnumque ſolum Deum cognoſcerent. Ad conſequendam enim ſalutem, Deum ſolum noſſe, tunc ſat erat; nunc id non ſufficit, ſed & Chriſti cognitione opus eſt.* Et Areopagita: *l Vnum enim eſt omnium principium.* & mox: *Omnes autem Angelos, qui ſingulis gentibus præſint, ad illud ipſum Principium, vt proprium, eos, qui vltro ac ſponte ſequantur, deducere.* Paulo namque, *m* Deus non Iudæorum tantum, ſed & Gentium eſt Principium; etenim Iudæis interrogantibus, *n Tu quis es? Dixit eis Ieſus, Principium, qui & loquor vobis;* nimirum Principium rerum omnium a quo pendet ſalus omnium hominum; Auguſtino ſcribente pariter Gentibus vates ac Sibyllas,

g 2. de vocat. gentil. c. 1.

h 18. de ciu. c. 47.

i 2pol. 2. p. m.

k in Matth. homil.

l de cæl. hier. c. 9. f.

m Rom. 3.

n Ioan. 8.

vt Iudęis Prophetas olim ante Chriſti natales Deum de-
o epiſt.49. diſſe: *o Ab initio*, inquit, *generis humani alias occultius, alias
euidentius; ſicut congruere temporibus Diuinitus viſum eſt;
nec prophetari deſtitit, nec qui in eum crederent defuerunt, ab
Adam vſque ad Moyſem; & in ipſo populo Iſrael, qui ſpeciali
quodam myſterio gens prophetica fuit, & in alijs gentibus
antequam veniſſet in carne*. cuiuſmodi fuere non ſolum Si-
p 2.2.q.2. byllæ, ſed etiam alij; de quibus D. Thomas ait: *p Multis
ar.7.ad 3. gentilium facta fuit reuelatio de Chriſto, vt patet per ea,
q cap.19. prædixerunt: nam Iob q dicitur, Scio quod Redemptor meus
viuit. Sibylla etiam prænuntiauit quædam de Chriſto, vt Au-
r 12.contr. guſtinus r dicit. Inuenitur etiam in Hiſtorijs Romanorum,
Fau.c.15. quod tempore Conſtantini Auguſti & Helenæ matris eius, in-
uentum fuit quoddam ſepulchrum, in quo iacebat homo, au-
ream laminam habens in pectore, in qua ſcriptum erat,
Chriſtus naſcetur ex Virgine, & ego credo in eum; O Sol ſub
Helena & Conſtantini temporibus iterum me videbis. Si qui
tamen ſaluati fuerunt, quibus reuelatio non fuit facta, non
fuerunt ſaluati abſque fide Mediatoris; quia etſi non habue-
runt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam
in Diuina prouidentia, credentes Deum eſſe liberatorem ho-
minum ſecundum modos ſibi placitos, & ſecundum quod
aliquibus veritatem cognoſcentibus ſpiritus reuelaſſet: ſecun-
ſ cap.35. dum illud Iob: ſ Qui docet nos ſuper iumenta terræ*. Cle-
t in exhort mens etiam Alexandrinus ait, *t Prophetiſſa itaque Sibylla
ad Gentes. nobis primum canat canticum ſalutare*,

„ Omnino en clarus, nulloque errore vagatur &c.

Vbi Gentianus in Commentario recte, *Prophetarum teſti-
monio Clemens veram probaturus religionem, & vnius Dei
cultum, primam citat Sibyllam, quam etiam dicit Prophetiſ-
ſam; quod quidem videtur conſulto facere, vt Iudæorum pro-
phetis facilius Gentes aſſentiantur, quum intellexerint apud
ſe quoque Sibyllam Prophetiſſam de Deo idem ſenſiſſe, & dixiſ-
ſe*,

ſe, quod ipſi. Et alio in loco Clemens: *u Heraclitus autem non humanitus, ſed diuinitus potius dicit apparuiſſe Sibyllas*. Qua de re quoque Plutarchus, *x Non vides, aiebat, quanta ſit venuſtas Sapphicorum carminum demulcentium auditores? at Sibylla furente ore, vt ait Heraclitus, riſus, ornatus, & fuci expertia ſonans, Dei beneficio in vocem ad mille annos continuat*. Et alibi Clemens ait: *y* Omnium hominum curam gerere Deum omnipotentem; ac olim exaudiuiſſe preces Aeaci Gentilis pluuias petentis pro ſalute Græciæ. Quid ni ergo dicamus Erum vere mortuum in prelio, duodecima die ſuſcitatum a Deo, vt Gentilibus ad ſalutem annunciaret ea, quæ iuſtis & iniuſtis eueniunt a Diuina Iuſtitia pro cuiusque meritis? enimvero legitur in ſacra *z* pagina; Diuitem mortuum ac in Inferno ſepultum, rogaſſe patrem Abraham vt mitteret defunctum Lazarum in domum patris ſui, quo quinque fratribus eius viuentibus annunciaret res alterius ſeculi, ne male viuentes & ipſi poſt obitum irent in locum tormentorum; quod ſi quis ex mortuis ierit ad illos, acturi ſint pœnitentiam: Cui reſpondit Abraham, illos in Iſrael habere Moſen, atque prophetas, quos audire debent. Ethnicis autem, non habentibus Moſen, neque Prophetas omnipotens & miſericors Deus eo ſeculo miſiſſe potuit Erum Pamphilium, qui mortuus viderat acta diuinæ Iuſtitiæ, quæ reuocatus mirabiliter ad vitam ſuis gentilibus annunciaret, vt ſaluti proprie conſulerent. Ac ſane propoſitam a Platone narrationem Eri Pamphilij non fuiſſe ſomnium dormientis, at viſionem defuncti, reuelationemque rerum in alia vita geſtarum, illud potiſſimum oſtendit, quod inſomnia variorum hominum diuerſa ſunt, prout ſunt variorum diuerſa temperamenta, diuerſaque ſimulachra in phantaſia variorum exiſtentia: quodque viſiones inſomniorum naturales temerariæ, fortuitæque ſunt,

u 1. ſtrom.

x de Pythiæ orac.

y 1 6. ſtrō.

z Luc. 16.

ſunt, nullo decenti rerum geſtarum complurium ordine concatenatæ, ac adinuicem cohærentes; vaporibus ſomniferis imagines phantaſiæ temere ac inordinate percellentibus. Quum autem eorum, quæ narrata ſunt ab Ero Pamphilio, longa ſeries, & ordinata fuerit; & conſimilia his, quæ multis alijs a morte ad vitam reuocatis contigerunt; nam omnes fere de Iudicibus animarum a corpore ſeparatarum loquuntur, deque pœnis improbarum, & præmijs iuſtarum; vti conſtat ex hiſtorijs mortuorum ad vitam reuocatorum, quas referunt D. Gregorius *a* de Petro Monacho Hibero, de Stephano viro illuſtri, deque milite Romano; Varro apud *b* Plinium de Corfidio; *c* Euſebius, ex Plutarcho, de Enarcho, D. Auguſtinus *d* de Curma: & alij de alijs. Et certe ſi velimus agnoſcere, fuiſſe veram defuncti viſionem, non autem ſomniantis falſam imaginationem ab Ero Pamphilio relatam, cogita mecum, vir eximie, Narrationem Eri propoſitam a Platone mirifice conuenire cum veris myſterijs de Iudicio vniuerſali; dicit enim de Pamphilio Plato: *e* *Dum pyra impoſitus eſſet, reuixit: & quæ interim viderat* (vndecim dierum tempore, quo mortuus iacuerat) *retulit. Inquit ergo, poſtquam anima fuiſſet a corpore ſeparata, vna cum pluribus quendam in locum Dęmonum perueniſſe: In quo terra duos proximos vidit hiatus: duos item alios e conſpectu in cæli regione conſpexit. Inter hos vero hiatus Iudices ſedere: qui poſtquam animas iudicarunt; iuſtos quidem ad dextram ſupra per cælum iubent, in aduerſa ipſorum parte ſigna eorum quæ iudicauerint, ſuſpendentes; iniuſtus contra ad ſiniſtram infra, omnium quæ fecerunt in vita, poſt tergum ſigna ferentes. Quum vero ad Iudices ipſe quoque acceſſiſſet, illos aiebat reſpondiſſe, redire eum hominibus nuncium de his quæ illic viderat, oportere: iuſſiſſeque illum audire & intueri quæcumque in eo loco fierent, diligenter. Viderat igitur illic*

a 4. mor. dial. c. 36.
b l. 7. c. 52.
c 11 d præp. Eu. c. 18.
d l. de cura ger. pro mort.
e Plato 10 de Rep.

per

per vtramque cœli terræque portam animos lata ſententia abeuntes: Lic. Profecto Iudices plures illi demonſtrati fuere, quia in vniuerſali Iudicio ſimul cum Chriſto ſedebunt Apoſtoli ſuper ſedes duodecim iudicantes *f* duo- *f* Matth.19
decim tribus Iſrael. Iuſtos vero a dextris eſſe locandos, iniuſtos a ſiniſtris, docet *g* ſacra pagina; qui Iuſti quum *g* Matt.25.
gauiſuri ſint de bonis operibus, ob quæ regnum cælorum adipiſcentur, ideo dicuntur habituri ſigna geſtorum in iudicio aduerſa ſibi, nimirum ante ſuos oculos, vt de illis lætitiam ſumant, & Deo gratias agant; cuius auxilio talia patrarint. E contra mali ſuis a facinoribus faciem auertentes, intueri non ſuſtinentes opera praua; propter quæ damnati fuerint ad ignem æternum, dicuntur poſt tergæ laturi ſigna ſcelerum omnium quæ fecerint in vita. Quod illo ſequentiæ mortuorum rithmo concinit Eccleſia.

„ Liber ſcriptus proferetur,
„ In quo totum continetur,
„ Vnde mundus iudicetur.

Nam ab eo libro mali ſuos oculos auertent, e contra boni figent in eum oculos. Iudices autem Erum, qui iudicandus & ipſe ad eos acceſſerat, iuſſerunt a mortuis reſurgere, nunciareque mortalibus ea, quæ ſibi videre contigerit ibi de bonorum præmijs, & malorum cruciatibus, vt viuẽtes a ſceleribus abſtinerent, & in honeſta vita manerent, omneſque perenni ſuæ ſaluti proſpicerent; quod gentilibus prophetas non habentibus indulſit Deus clementiſſimus, id negans Iuſtiſſimus hebręis fratribus Epulonis in inferno ſepulti, Moſen & prophetas apud ſe obtinentibus. Viderat autem Erus ibi ſtatim lata ſententia iuſtorum animas per cæli portam abire ad gloriam, iniuſtorum vero, per terræ portam deſcendere ad æterna ſupplicia. Poſtea Pamphilius referens omnium anima-

D rum

rum conuentum ad Iudicium addit, *Pla. Per alias item duas* portas, *ex terra quidem aſcendentes, animas puluere, ſqualore, macieque confectas; e cælo autem alias nitidas deſcendentes.* Lic. Nimirum quum ad vniuerſale iudicium omnes defunctorum animę congregari debeant, & corporibus vniri; quarum aliæ iuſtæ glorioſæ degunt in cælo, aliæ improbæ cruciantur in inferno; illæ dicuntur nitidæ, cunctis culparum ſordibus expurgatæ, lumineque gloriæ fulgentes, e cælo deſcendere ad Iudicium in ſuperficie terræ faciendum: iſtæ viciſſim e terræ profundo ſurſum aſcendere propter cruciatus inferni puluere fauillarum ignis, & ſqualore, macieque confectæ: *Pla. Viderique inquit animas vndique venientes, tanquam longa peregrinatione fatigatas, libenter in prato, quod ibi eſt, tanquam celebri in conuentu recumbere; ac ſeinuicem quæcumque mutuam notitiam habuerint, ſalutare.* Lic. Dicuntur hæc de cunctis animabus, cum aliqua tamen diſtinctione; quod vndique veniunt ad Iudicium tam de cælo ſurſum, quam de terræ barathro deorſum; hæ quidem longa peregrinatione veluti fatigatæ, illæ vero libenter in prato *h* Vallis Ioſaphat, tanquam in celebri cunctorum hominum conuentu recumbunt, corporibus ſuis iunctæ, quibus gloriam ſuam communicant, expectantes alacres Iudicium, quo declarabuntur hæredes regni cælorum. Iniuſtæ quoque libenter ad Iudicium ea ratione venire dici poſſunt, & in prato magnæ Vallis aliquãdiu permanere, tum vt ab inferni cruciatibus eo tempore vacent; tum maxime vt de corpore ſuo vindictam ſumant, ipſum ſecum in tartarea tormenta ducentes, quod ſibi fuit occaſio peccandi, & cauſa damnationis ob libidines omnium generum; nam vindicta *i* dulcis eſt, & inuidia malis *k* lætatur alienis inter proprias calamitates; quod ſolatium ſit miſeris vtcumque ſocios habere pœ-

h Ezechiel 37.

i Iuuen. ſat. 13. Senec. 2. de Ira paſſim.

k 1. mag. mor. c. 26. 3. eudé. c. 9 2. rhetor. 2. top. & alibi.

pœnarum. Iuſtorum vero animæ, quæcumque mutuam in vita priſtina notitiam habuerint, ſeinuicem ſalutant congaudentes de reſurrectione, deque gloriæ ſuis corporibus participatione. Malæ quoque ſe inuicem ironice ſalutant de reſurrectione congaudentes quoquo pacto, vt puta de participatione pœnarum ſuis corporibus tanquam hoſtibus, deque tormentorum communicatione multis alijs damnatis; nam ob inuidam rabiem vellent omnes homines vna ſecum in infernum trahere. Addit Erus, *Pla. Eaſque omnes, tam quæ ex terra, quam quæ e cælo conueniſſent, ſe ſe vltro citroque de his quæ ſuis in locis viderint, percontari, ſibique viciſſim ad ſingula reſpondere.* Lic. Non quidem bonas cum malis, neque malas cum bonis colloqui; nam magno diſtant interuallo quæ ſitæ ſunt a dextris, & quæ a ſiniſtris, longioreque diſtantia quam vt mutuo poſſint audiri: Plato vero nomine animarum homines intelligit, quos animas eſſe definit *l* corporibus vtentes, ad ſui eſſentiam intime non attinentibus. At vult inter ſe colloqui ſolum animas tum pias in parte dextra ſeſeque inuicem percontari, vbi fuerint vnitę ſuis corporibus, de his quæ viderint in ſuis æthereis ſedibus, ac ſibi viciſſim de ſingulis gradibus gloriæ, quos habuerint in ſuperna beatitudine priuſquam corpori per reſurrectionem reunirentur, reſpondere ad cumulandum ſua gaudia: tum etiam viciſſim impias in parte ſiniſtra locatas mutuo ſe ſe percontari de his, quæcumque viderint in diſtantibus ab inuicem inferni locis, ac reſpondere de ſingulis, Deum & ſemetipſas blaſphemantes horribiliter ad augmentum ſuæ calamitatis in die illa miſeriæ amariſſima reprobis; quarum colloquia, ſic vt dixi, ſtatim diſtnguit Erus addens. *Pla. Has quidem dolentes ac flentes memoria malorum, quæ in præterito ſub terris itinere & perpeſſa ſunt, & viderunt: eſſe autem iter illud mille an-*

l de nat. hom. Fic. in argum. Alcibiad.

norum. Lic. Adeo ſunt acerbæ pœnæ malorum in inferno, vt vel tantillum temporis durantes, putentur a patientibus æternum durare: narrat enim Diſcipulus apparuiſſe mortui fratris animam, quę conquereretur de ſodalis crudelitate, qui ſibi promiſerat illico celebrare Miſſam pro ſui ſuffragio, & ſe in Purgatorij pœnis viginti annos cruciari permiſerit; quum tamen a morte ſtatim ille Miſſam celebrauerit, in cuius fine de Purgatorio liberatus fuerit. Vel etiam mille anni dicuntur, vt indicetur Vniuerſali Iudicium fieri debere in fine temporum; quum obſeruatione Bongi, millenarius numerus apud antiquos omnes myſtice ſignificet abſolutum, completum, atque terminatum eſſe penitus id, cuicumque applicatur. *Pla. Illas vero, quæ de cælo deſcenderunt, narrare delicias, pulchritudiniſque ingentis ſpectacula.* Lic. (Hic non fit annorum mille mentio, quia propter excellentem voluptatem gloriæ, mille anni beatitudinis
m Pſal. 89. ęquiparantur minimo tempori, ac ſunt veluti dies *m* vna.) *Pla. Multa quidem illa referre, quæ longo ordine recitabat, prolixa nimium narrationis, o Glacco.* Lic. (Sane multa narranda vidiſſe Pamphilij animam oportuit, quæ totos vndecim dies iuſſa ſpectare defunctorum acta, mortalibus poſt reſurrectionem manifeſtanda.) *Pla. Summam vero hanc eſſe dixit: Quoſcumque alijs iniurias intuliſſe conſtare, pœnas ſingulatim pro quolibet decies reddidiſſe, ideſt ſpacio annorum centum; quaſi hæc vita humanæ ſit meta, vt animæ decuplam iniuriæ darent pœnam. Itaque ſi qui cædis multorum cauſa fuerint, ciuitateſque & exercitus perdiderint, vel homines in ſeruitutem egerint, vel alicuius alterius flagitij & ſceleris conſcij fuerint, in his omnibus pro quolibet facinore pœnas decuplas pendere.* Lic. Recte de reproborum pœnis, quæ in alia vita tota, centenario numero annorum deſignata, futuræ ſunt infinitæ, cum intenſiue,

quæ

quæ decumanæ dicuntur; omnia namque maxima veteribus appellantur decumana; tum extenſiue, quæ centenario ſignantur numero, qui ſemper amplitudinem indicat, & infinitatem in propoſito ſpeciatim; vt ex *n* Virgilio Bongus adnotauit, de pœnis inferni tractante: *n 6. Aenei.*

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſem.

Adiungit ex Ero Plato: *Atque iterum ſi qui beneficia quædam contulerint, iuſtitiamque, & pietatem coluerint, eadem ratione præmia reportare.* Lic. Nimirum decupla, centuplaque, ac æterna; quod habetur in ſacra *o* pagina; nam erogans eleemoſynam centuplum accipiet, ac vitam æternam poſſidebit. Cetera vero, quæ Plato monet ab Ero narrata poſt ſui reſurrectionem his conſimilia ſunt. Quare non fabula, neque dormientis excitatio narrantis inſomnia, ſed mihi vera fuerit Eri defuncti a mortuis reſurrectio, narrantis iuſſu Dei pro Gentilium ſalute, quæ viderat apud inferos. *o Matth. 19 Marc. 10. Luc. 13.*

De vera Theſpeſij Reſurrectione, cui defuncto monſtratæ fuerant animæ tum felices in gloria, tum Purgatorij, tum damnatæ, quarum ſtatum Ethnicis ad ſalutem, Diuino iuſſu ſignificaret. Cap. IV.

DE Theſpeſio vero Solenſi, quod itidem poſtulas, inclyte Vir, afferendam arbitror eandem fere ſententiam, etſi de alio genere veræ Reſurrectionis a mortuis. Nec obeſt quod Plutarchus eam nomine fabulæ donauerit, inquiens: *Plu. His dictis, ego quum conticuiſſem, ſubridens Olympicus, Non, inquit, laudamus te, ne quaſi ſatis demonſtrato propoſito videamur fabulam dimittere: hæc demum audita, pronunciabimus. Tum ego narrationem ſum pro-*

proſecutus. Lic. Etſi narrationem iſtam Plutarchus ipſe fabulam μῦθον appellet, eam tamen fictum ingenij commentum non innuit, ſed indicat eſſe veram narrationem de rebus admirandis, atque ſacris ad myſteria diuina pertinẽtibus; Ariſtotelem *a* ſecutus, *b* Iſocratem, & alios, quorum teſtimonijs nos late dudum vſi fuimus in propoſito tractantes *c De Pietate Ariſtotelis erga Deum & homines*, quæ non ſunt huc afferenda; ſat erit Ariſtotelica verba proferre, quibus habetur; *Quare Philoſophus amator fabularum quodammodo eſt, eo quod fabula ex mirandis conſtat*; & infra: *d Recte autem ſe habet Philoſophiam ſcientiam veritatis contemplatricem appellaſſe, ſpeculatiuæ etenim finis veritas*. Quare fabula, quam proponit & Plato de Pamphilio, & Plutarchus de Theſpeſio, narratio vera eſt de rebus admirandis, & ad myſteria diuina ſpectantibus: non ſecus atque narratio, quam ex eodem Plutarcho tanquam veram proponit Euſebius Pamphilus agens de Præparatione *e* Euangelica: poſt Eri Pamphilij narrationem ex Platone relatam, addit; *Plutarchus autem in primo de anima hac narrat: Enarchus, inquit, nuper ægrotans, tanquam iam mortuus a Medicis fuit relictus: & breui tempore in ſeipſum poſtea reductus, dicebat ſe mortuum fuiſſe, & in corpus iterum reſtitutum, nec me in ægrotatione moriturum. Reprehenſoſque aiebat vehementer a Domino ſuo eos ſpiritus, qui animam eius duxerunt: ad Nicandam enim miſſos, non ad illum fuiſſe. Nicandas autem coriarius erat, & in palæſtris non ignobilis, qui eo tempore, quo Enarchus reuixit, in maximas incidit febres, ac repente mortuus eſt. Hic autem viuit, ſuperſteſque eſt feliciſſime nobiſcum manens. Hæc ideo poſui* (addit Euſebius) *quia ſcriptura etiam Hebræorum nonnullos reuixiſſe veriſſime narrat*. In operibus Plutarchi nunc extantibus hanc enarrationem non habemus; at ea fuerit in Commentarijs, quos edidit ad libros Ariſtotelis

a 1. meta. ſu. 1. c. 2.
b orat. ad Demonicũ
c lib. 2. c. 11
d 2. meta. t. 4.
e l. 11. c. 18.

De anima, citatis a Theophilo f Zimara; quibus Commentarijs careo. Sed redeamus ad Theſpeſij narrationem habitam a Plutarcho; cuius narrationem de pœnis Purgatorij, & Inferni, vt etiam non ſemel a Platone traditam, ceu veram recepit & coluit Iacobus Mazzonius in ſua præclara Defenſione Danthis, qui Virgilium Ethnicum ſibi ducem aſſumit in aſpiciendis Purgatorij, & Inferni cruciatibus: etenim quum Plato cognouerit eas e ſacris literis, & ſuis popularibus propalauerit; videns miſericors Deus inde parum proficere Gentiles; quo nullam excuſationem haberent, ſuperabundans ipſe ſemper in miſericordia, Theſpeſio defuncto pœnas vtraſque, ſimul & gaudia cæleſtia monſtrauit, eoque rediuiuo tanquam nuncio vſus eſt ad eas Ethnicis mortalibus aperiendas. Ita recte Mazzonius: Et certe Plato, qui præ ceteris acceſſit ad veritatem Theologicam, attamen expers lumine fidei, demonſtrauit in ſuo Phædone, peccata mortalium eſſe duplicia, nimirum ἀνιάτα, & ἰασίμα, quaſi dicas *mortalia*, & *venialia*; & pro mortalibus conſtitutas eſſe pœnas æternas: & pro venialibus temporarias poſt hanc vitam. Verba Platonis ea ſunt: *Itaque quicunque in vita quodammodo tenuiſſe medium quoddam comperiuntur, ad Acheruntem profecti, vehiculis, quæ vnicuique adſunt, in paludem perueniunt Acheruſiam; ibique habitant, purganturque, pœnas dantes iniuriarum; & quum purificati ſunt, abſoluuntur; rurſusque pro meritis ſinguli benefactorum præmia reportant. Qui vero ob ſcelerum magnitudinem inſanabiles eſſe videntur, qui videlicet ſacrilegia multa, & magna, vel cædes iniquas, vel acta horum ſimilia perpetrauerint, hos omnes conueniens ſors mergit in Tartarum, vnde nunquam egrediuntur.* Et paulo poſt confitetur, in alia vita poſſe remitti quædam peccata mortalia, de illis intelligens, quæ ſunt ſanabilia per pœnitentia; quod aſſertum

f3 de an. c. t. 1. & 27.

l. 3. c. 46.

tum

„ tum omnino conſentit Orthodoxæ Catholicæque do-
„ ctrinæ. Et Theodoretus in XI. lib. De Curatione paſſio-
„ num Gentilium approbauit hanc diſtinctionem pęnarum
„ alterius vitæ pro bona, & conformi ſacris literis, niſi
„ quod interſerere voluit aliquot Poetarum fabulas. Quod
„ etiam cõfirmatum fuit ab Euſebio Cæſarienſe in XI. Pręparat. Euangelicæ. Idem in XII. adducit alium locum
„ Platonis in Gorgia, vbi quoque clare tractatur de pœnis
„ Inferni, & Purgatorij. Locus Platonis ita refertur a
„ Georgio Trapezuntio Latine: *Quare recte ad carcerem*
„ *Tartari immittit, vbi ſupplicijs torquentur, vt aut ipſi pur-*
„ *gati meliores fiant, aut exemplo ſuo alij moniti formidine cru-*
„ *ciatus, a peccando deterreantur. Purgantur autem quicun-*
„ *que curabiliter peccarunt, doloribus & hic viui, & apud in-*
„ *feros mortui. Non enim aliter poſſibile eſt, impreſſas vitiorum*
„ *detergi maculas. Qui vero maxime iniuriati ſunt, & incu-*
„ *rabiliter peccarunt, nulla his vnquam vtilitas accidere poteſt,*
„ *quia incurabiles ſunt, ſed alij exemplo ſuo iuuantur.* Et iſte
„ locus Platonis approbatus fuit, vt conſentiens ſacris li-
„ teris a Theodoreto lib. VI. Curationis Affectionum Gręcarum. Neque ſolum Plato, ſed etiam Autores alij Gen-
„ tiles agnouerunt neceſſitatem Inferni & Purgatorij in
„ alia vita ſolo lumine naturali. De qua re plenum affert
„ teſtimonium Plutarchus in Opuſculo De ſera numinis
„ vindicta: *Porro alios aliter puniri, & ipſam tria ſupplicio-*
„ *rum genera tueri, atque exequi. Quoſdam enim (aiebat)*
„ *ſtatim in corpore, & per corpora plectendos pœna velox arripit*
„ *miti quadam ratione, & quæ multa omittant expiationis in-*
„ *digentia. Quorum vero malitia operoſiorem flagitat medici-*
„ *nam, eos Genius poſt mortem Iuſtitiæ tradit. Prorſus autem*
„ *inſanabiles, Iuſtitia repellente, tertia, & ſæuiſſima Adraſtea*
„ *adminiſtrarum Erinnys hinc inde vagantes atque fugientes*
„ *curſu adſequens, miſerabiliter atque immaniter vniuerſos*
abo-

abolet, inque locum demergit, qui, neque cerni oculis, neque „ *viſu videri poteſt*. & mox oſtendit, pœnas Purgatorij eſſe „ finitas, & animam reddere pulchram. *His coloribus om-* „ *nino deterſis, anima ſplendida, & macularum expers reddi-* „ *tur*. Et in libro De Lunæ maculis meminit itidem pœna- „ rum æternarum, & temporalium alterius vitæ: *Omnem* „ *animam, ſiue dementem, ſiue cum mente, vbi è corpore lapſa* „ *eſt, fato decretum eſt, errare in loco inter Lunam ac terram* „ *non æquali tempore: ſed iniuſtæ immoderatæque ſcelerum pœ-* „ *nas perſoluunt; bonas autem oportet in amœniſſimo aëris eſſe* „ *loco, quoad expiatæ corpore, quod omnes mali cauſa fuit, ex* „ *inde in patriam, velut poſtliminio reportatæ gaudijs perfruun-* „ *tur*. In his Plutarchi verbis agnoſcitur euidenter pœna „ æterna, & temporaria animarum, poſtquam a corpore „ ſeparatæ ſunt. Hoc idem probari poteſt autoritate mul- „ torum ſcriptorum Gentilium, vt apparet in decimo lib. „ Perennis Philoſophiæ Steuchi: ad quem in præſentia me „ remitto. Verum enimvero Theſpeſij defuncti reſurre- ctionem, a Plutarcho narratam, non fabulæ figmentum eſſe, ſed verum ſermonem, ante Mazzonium poſuit ipſe *m* Steuchus agens de Perenni Philoſophia. Tanta Dei *m* l.10.c.26 miſericordia fuit ſemper, vt ad Ethnicos inſtruendos eo- rum quoque mortuos reſurgere curauerit, nuncios pœ- narum, & præmiorum alterius vitæ, quo pietatem addi- ſcant & colant. Itaque non amplius tibi dubitandum fuerit, Vir eximie, de vera Theſpeſij Solenſis reſurre- ctione. Quam idem Mazzonius accipit eſſe veram *n* in- *n* l.3.c.51. ferius, vna cum multis alijs a nobis antea relatis ex Eu- ſebio, Gregorio Magno, & alijs plerisque. *Plut: The- ſpeſius Solenſis vir Protogenis, eius qui hic nobiſcum fuit, fa- miliaris atque amicus, quum primis temporibus per quam diſ- ſolute vixiſſet, atque exinde rem familiarem celeriter perdi- diſſet, aliquandiu etiam neceſſitate impellente malis ſe dedit*

E *arti-*

artibus ; & pœnitentia ductus, dum diuitias ſectatur, idem eſt expertus, quod vſu venire intemperantibus ſolet, qui vxores dum habent, non cuſtodiunt, dimiſſaſque, & alijs coniunctas improbe corrumpere conantur. Is ergo Theſpeſius dum nulla turpi re abſtinet, quæ voluptatem aut quæſtum videretur conciliatura, breui temporis ſpacio opes non ſane magnas, opinionem autem malitiæ ſummam ſibi parauit. Maxime autem eum notauit Oraculum ab Amphiloco allatum: Quum enim (vt fertur) miſiſſet ad Deum, ſcitatum an reliquum vitæ victurus eſſet melius, reſponſum fuit, Melius habiturum poſtquam mortuus foret. Ac ſane hoc illi quodammodo non poſt multum temporis accidit. De ſublimi enim in ceruicem delapſus, ictu abſque vllo vulnere accepto, mortuus eſt; tertiaque poſt die ſub ipſam funerationem reuixit. Mox recuperatis viribus ad ſe reuerſus, incredibilem quandam vitæ mutationem inſtituit; nam neque iuſtiorem in contractibus vllum eo tempore nouerunt Cilices, neque maiore aduerſum Deos pietate, neque hoſtibus moleſtiorem, neque magis fidum amicis; quo factum eſt, vt quibus res cum ipſo erat, cauſam cognoſcere tantæ diuerſitatis auerent, non vilem aut vulgarem eam fuiſſe arbitrantes. Quam eorum fuiſſe veram opinionem, intelligi poteſt ex his, quæ ipſe Protogeni, alijſque bonis amicis narrauit. Lic. Sane fabuloſam non eſſe vitæ mutationem iſtam, conſtare poteſt ex conſimilibus euentibus; nam & Saulus præceps ex equo deturbatus diuina voce, pene necatus, vereque excæcatus, miram vitæ mutationem inſtituit, factus ex hoſte crudeliſſimo Chriſtianæ Fidei, eiuſdem prædicator, ac propugnator acerrimus: Neque vero Diui Pauli dignitati, vel ſanctitati quidquam iſta præiudicant, immo gloriam & decus ipſius adaugent; quia Conuerſio peccatoris ab Eccleſia numeratur inter laudes & encomia; ſic apud Euangeli-
Luc. 15. ſtam Dominus, *Gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pæ-*

pænitentiam agente, quam ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pænitentia. Sic inter decora Magdalenæ ponitur, quod peccatrix in ciuitate fuerit in vas translata gloriæ de vaſe contumeliæ; quodque remiſſa fuerint illi peccata multa, quoniam dilexerit multum. *Qui vero,* ſicuti recte monet Maldonatus, *eam corpore pudicam fuiſſe putant, non tam eius honorem augent, quam Christi honorem minuunt:* Maior enim Medico gloria eſt, quo quem perſanauerit, maiori deteriorique morbo conflictatus fuerit. Et quia longe difficilius eſt improbum ad probitatem conuerti, quam iuſtum in ſua iuſtitia perſeuerare; quippe nulla reperitur in innocenti repugnantia ad probitatem, e contra vero in peccatore vitiorum adeſt repugnantia, ac eo maior quo vitia fuerint plura & intenſiora; magnam autem eorum repugnantiam ſuperare, magnæ virtutis proprium opus eſt eius, quicumque conuertitur a peccatis ad gratiam per iuſtificationem; nam iuſtificatio quidem eſt opus Dei; ſed etiam peccatoris eſt auerſio a malo per deteſtationem, & conuerſio ad Deum per dilectionem; quo vero maius peccatum extiterit, eo maiorem ingeret homini peccatori repugnantiam ad voluptates vitijs implexas deſerendas, & virtutis difficultates adeundas; repugnantiam autem eiuſmodi ſuperare ſicut arduum eſt, ita proficiſcens a magna virtute, laudibus & encomijs digniſſimum reddit hominem, qui relicto vitio, virtutem amplectitur; deteſtatoque peccato cum omnibus eius illecebris, arduum & ſenticoſum probitatis callem ingreditur. Nec obeſt oraculum ab eo Gentili ſciſcitatum de mutatione vitæ, quin eius hominis verum numen conuerſionem admirabiliter promouerit; quia non ſolum Saulus impius auxilium ſimile conſecutus eſt a vero Deo; ſed etiam Aeacus Ethnicus, oraculi conſulti Pythiæ cōſilio preces effundens pro pluuia ſalutari Græ-

Luc. 7.

cis impetranda, meruit a vero Deo ſummo exaudiri; vt antea vidimus obſeruatum a Clemente *g* Alexandrino. Sequitur afferre narrationem Theſpeſij ad vitam reuocati, dicentis *Plu. Nam ſimul atque mens corpore excidit, principio eiuſmodi ſenſit mutationem, qualis eueniret gubernatori e naui in profundum mare abiecto. Deinde paululum elatus, viſus eſt ſibi totus reſpirare, & anima veluti vnico oculo aperta vndiquaque circunſpicere. Conſpexit autem nihil eorum quæ antea, ſed ſtellas ingentes, & inter ſe immenſis diſtantes interuallis, ſplendoremque admirabilis coloris emittentes efficacitate præditum, ita vt anima eo leuiter vecta, tanquam in ſerenitate in lumine vſquequaque celeriter vagaretur.* Lic. Nimirum anima defuncti Theſpeſij, dum a nexu corporis violente ſepararetur, videtur ſibi perpeſſa ſubmerſionem in profundum, obſcuratione ſenſuum, abſtractioneque a parte ſenſitrice, vegetalique, quibus amice naturaliter erat vnita. Deinde ſibi viſus eſt totus reſpirare Theſpeſius, quia vt ait *h* Ariſtoteles, melius eſt intellectui non eſſe cum corpore; & anima non amplius duobus oculis corporeis, at ſolo intellectu velut vnico oculo, *i* non impedito materia corporea, quæ rebus quibuſque ineſt, cauſa eſt occultationis *k* & ignorantiæ, aperta vndiquaque omnia circumſpicere diſtincta cognitione citra nubem erroris, non velata fallaciæ nebula prorſus vlla. Conſpexit autem nihil eorum, quæ antea, quia e terris in cęlum abductus eſt, vbi nihil eſt elementarium rerum: adeoque perſpexit ibi ſtellas ingentes, cuiuſmodi vere ſunt, etſi nobis ob maximam diſtantiam appareant exiguæ; ac inter ſe diſtantes immenſis interuallis, etſi ſenſui noſtro propinquæ videantur ad inuicem, ob ampliſſimam intercapedinem locorum cæleſtium, ac terrenorum: ſplendorem emittentes admirabilis coloris efficacitate præditum; quia lumen quo fonti

g 6. ſtrom.

h 1. de an. t. 49. & 12. meta. t. 51.

i 1. ethic. c. 6. 2. meta. t. 1.

k 8. phyſ. t. 32. 7. meta. t. 35.

ſuo

ſuo proximius eſt, eo purius, & efficacius eſt. Sed & natura ſpiritualis Angelorum incorporea ſe ſe menti Theſpeſij ſub ratione ſplendoris agnoſcendam dedit; qui ex aſtris emitteretur; nam aſtra ſingula proprijs reguntur Angelis; & ex ætherea ſiderum regione Angeli lucis deſcendunt ad inferiorem mundum, vecturæ ſurſum celeriter animas morientium prædeſtinatorum in cælum; Angelorum enim proprium attributum ſplendorem eſſe monent Sancti *l* Patres; qui eos nomine ſplendorum appellant in Pſalmis: *m In ſplendoribus Sanctorum ante Luciferum genui te*. vbi dicunt: *In æternitate virtus diuina conſpicitur, non ab alijs, ſed a Sanctis: quando in reſurrectione erunt ſplendidi, vt Angeli Dei*: quare anima Theſpeſij dicitur in lumine, hoc eſt ab Angelo vſquequaque celeriter vecta tanquam in ſerenitate, tum quia ſupra mundum elementarem in cælis perpetua ſerenitas eſt ætheris: tum quia mira eſt Angelorum celeritas, ob abſentiam materiæ, tarditatem motui conciliantis. *Plu. Præterea hic plurima ſpectacula ab eo commemorata. Animas autem morientium narrabat quum ſurſum adſcendunt, aere cedente bullam efficere flammeam: qua deinde ſenſim rupta, exeant forma prædita humana, mole exigua, & motu non eiuſdem omnibus modi; quaſdam enim celeritate admirabili exilire, & ad rectam lineam ſurſum emicare: alias fuſi inſtar, in orbem conuerſas: alias ſurſum, alias deorſum vergendo, miſta quadam & turpida moueri agitatione, vix longo admodum temporis tractu ſubſiſtente.* Lic. Affabre deſcribere Theſpeſius incipit conditiones animarum defunctorum, dum a corpore ſeparantur; & primo diſtincte deſcribit animas illas, quæ pœnis Purgatorij detinentur; quoniam vero vix vlla eſt, nullaque ab eo viſa, quæ purgationis non indiga, ſtatim a corpore tendat ad gloriam; proinde dicit, animas morientum abſolute, quum ſurſum aſcendunt

l Auguſt. Caſſiod. Aygua.
m Pſ. 109.

dunt

dunt prædeſtinatæ ad felicitatem, aere cedente bullam efficere flammeam; quia flamma purgatrice circumdantur in figuram bullæ, intra quam continentur; cuius rei typum habemus apud *n* Ariſtotelem agentem de cælo, quod in ſua figura ſphærica retinet dextrum, ſiniſtrum: ſurſum, deorſum: ante, & retro; proindeque cunctas poſitionum differentias, vt homo; dicit enim, *Sed intelligere oportet, quemadmodum, ſi quis in quibus habeat dextrum ad ſiniſtrum differentiam, etiam figuris, deinde circumponat ſphæram; habebit enim potentiam differentem: videbitur autem minime, propter ſimilitudinem figuræ*. Sic dum anima ſeparatur à corpore cum aliqua labe, ſtatim ad eam purgandam pro gloria, diuina Iuſtitia circumponit illi flammam ignis Purgatorij, qui materialis eſt, vnde concluditur anima intra flammeam bullam; qua deinde ſenſim rupta, detracto igne purgante, quo circumdatæ animæ obnubilabantur, poſt purgationem exeuntes humana forma (quia fuerunt hominis formæ ſubſtantiales, eius corpori coextenſæ penitus; vt olim proprio volumine comprobauimus, ſub titulo *De Animarum coextenſione corpori*) ſurſum aſcendunt ad cæli gloriam, aere illis incorporeis omnino cedente, hoc eſt nihil earum aſcenſum remorante; ſunt autem exigua mole ſingulæ, quia ſine materia, quam proprie magnitudo ſequitur. Aguntur autem in ea flamma non omnes motu eiuſdem modi, ſed vario pro varietate purgationis debitæ; nam quæ ceteris puriores minima labe ſunt inquinatæ, celeritate mirabili de flamma exilientes ad rectam lineam ſurſum in cælum emicantes euolant. Aliæ maiori labe coinquinatæ diuturnioris indigæ purgationis, in ea bulla flamma circumuoluuntur ad inſtar fuſi rotati longiore vertigine ſenſim aſcendentes. Aliæ demum adhuc tetriori culpa maculatæ, ſurſum & deorſum miſta quadam & inconcin-

n 2. cæl. t. 13.

na

na mouentur agitatione diuturna, vt vix longiſſimo temporis tractu ſubſiſtant in cælum recipiendæ, poſt diuturnæ purgationis agitationem: nam varium eſt tempus morandi præſcriptum animabus in pœnis purgatorij, alijs breue, alijs longius, alijs diuturniſſimum, pro varietate demeriti purgandi. Quarum pœnarum varietas eſt non tantum penes durationem extenſiua, ſed etiam penes atrocitatem intenſiua; quod illico refert aiens: *Plu. Pleraſque earum ignorabat (vt retulit) quorum eſſent.* Lic. Etenim ex vniuerſi mundi plagis animas defunctorum vidit in purgatorij loco. *Plu. Duas aut tres, notas ſibi, quum conſpexiſſet, conatus eſt accedere, & alloqui: illæ autem neque audiebant, neque apud ſe erant, ſed mentis expertes, ac conſternatæ, omnem conſpectum, tactumque fugientes vagabantur primum ſeorſim vnaquæque, deinde multis eodem modo affectis obuiam factæ & implicatæ, motibus promiſcuis & temerarijs ciebantur, voceſque edebant obſcuras, quaſi vociferationes eiulatu & pauore miſtas.* Lic. Nimirum quæ purgantur animæ, tam atroci pœna nonnullę cruciantur, vt mentis impotes, ac ob ſæuitiam doloris extra ſe poſitæ non audiant notos alloquentes; neque conſiſtere valeant in eodem loco, neque moueri pacate, aut ordinate; ſed inconditis agitationibus cieantur; neque clare lamentari, ſed vociferationes edere ſubobſcuras, eiulatu, pauoreque permiſtas; non audent clare lamentari, ſcientes ſe digne pati; vociferationes edunt cum eiulatu, propter atrocitatem pœnarum; & pauorem habent Dæmonum, miniſtrorum Diuinæ Iuſtitiæ, nunquam non eas territantium, & in ipſas minaciter ac horribiliter irruentium. Poſt hæc affert de iam purgatis, & in gloriam iam introductis animabus, addens: *Plu. Aliæ autem ſupra in ſummo ambientis erant adſpectu ſplendidæ, & inuicem ob beneuolentiam coeuntes.* Lic. Nimirum in cælo,

o 1. meteo. ſu. 1. c. 3. lo, quod & Ariſtoteles ambientem *o* magnitudinem appellat; quinimmo in ſummo cæli culmine, vbi ponit Ari-
p 1. cæl. t. 100. ſtoteles beatas *p* mentes, viſæ ſunt a Theſpeſio animæ ſplendidæ, quia ſunt amictæ lumine gloriæ; qui ſplendor
q Math. 17 Marc. 9. *q* apparuit in facie Chriſti Domini transfigurati: & inuicem beneuolentia iunctæ; nam inter beatos mira charitas, vbi nulla fides, neque ſpes eſt; qui vident maniſeſtiſſime, poſſidentque Diuinam Gloriam actu præſentem. *Plu. Tumultuantibus iſtis vitatis ſignificabant nimirum ſe ſe in ſe trahendo moleſtiam, extendendo autem & pangendo gaudium, & approbationem.* Lic. Quia felices animæ ſegregatæ iam a tumultuoſe cruciatis in pœnis purgatorij, reſpicientes de cælo tribulatis illis indicabant veluti moleſtiam miſerationis, ſeſe contrahendo vt faciunt, qui miſeris patientiam ſuadent vſque ad præſtitutum tempus refrigerij: & extendendo illis quaſi manus adiutrices, pangendoque pro illis Deo ſummo carmina precum, gaudent de futura illarum liberatione; ſimul approbantes Diuinam Iuſtitiam eas purgantem, vt puros ad æternam gloriam introducat: dicente Domino,
r Luc. 15. *r quod gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente:* ſunt enim qui purgantur, peccatores, pœnasque luunt condignas de culpis, eosque deliquiſſe pœnitet plurimum. *Plu. Ibi aiebat quandam cuiuſdam cognatorum animam, quem vt pote ipſo puero mortuum non ſatis bene agnoſceret, prope acceſſiſſe, ac dixiſſe: Salue Theſpeſi:* Lic. Potuit autem cognatus ille Theſpeſij ſaluus eſſe, qui vixerit ſecundum leges naturæ, vt de multis Ethnicis antea vidimus: coniunctum autem decuit illi talia reuelare, quem loquentem intelligeret & vera dicere confideret. Atque recte ſalutem impertiuntur aduenis animæ beatæ; quum id efficere nequeant in tartaro damnatæ, quæ cunctis diras imprecantur, neminem ſaluum eſſe deſi-

deſiderantes: neque purgantes, quæ ſalutem non adhuc habent, quam alijs impertiantur. *Plu. Miratum ſe reſpondiſſe: Non Theſpeſius ego ſum, ſed Aridæus: tum animam intuliſſe: Prius quidem Aridæus fuiſti, poſtmodum autem Theſpeſius (vox ea diuinum ſignificat) eris: non enim mortem obijſti:* Lic. Simpliciter & abſolute, nondum corruptis animæ tuæ partibus inferioribus, poſt egreſſum tuæ mentis e corpore, ad quod es reuerſurus. *Plu. Sed diuino quodam fato huc venit mens, reliquis animæ facultatibus velut anchora in corpore relictis. Atque rurſum nunc tibi argumento hoc ſit, quod animæ defunctorum neque vmbram faciunt, neque conniuent. His auditis Theſpeſius iam & magis colligere ſe ac ad rationis vſum redire cœpit; & quum perſpexiſſet, animaduertit ſibi comitari appendicis loco obſcuram quandam & vmbroſam lineam.* Lic. Vmbra fuit illa, non vera corporis, at metaphorica, myſticaque reatus, & culpa, delictorum ab ſe dudum in corpore patratorum. *Plu. Illas vero animas fulgore circumdari ac intus eſſe pellucidas, non omnes tamen eodem modo: nimirum alias plenæ inſtar s puriſſimæ Lunæ vnum colorem lenem ac continentem æquabiliter exhibere; alias ſquamis quibuſdam ac* t *vibicibus percurrentibus maculatas; alias admodum variâ & inſolenti adſpectu,* u *nigris notis viperarum inſtar compunctas: alias etiam obtuſis diſtinctas* x *fixuris.* Lic. Enimuero Theſpeſij fuit iſta mirabilis velut ecſtaſis, qua raptus fuit in cælum animo, ſine corpore; cuiuſmodi forte fuit D. Pauli raptus, aſſerentis: y *Si gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad viſiones, & reuelationes Domini. Scio hominem in Chriſto, ante annos quatuordecim (ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio; Deus ſcit) raptum huiuſmodi vſque ad tertium cælum. Et ſcio huiuſmodi hominem (ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio: Deus ſcit) quoniam raptus eſt in Paradiſum: & audiuit arcana verba, quæ*

s Virgines.
t Martyres.
u D. Laurentius.
x D. Franc. Stigm.
y 2. Cor. 12

non licet homini loqui. Miſericors autem Deus, qui ad conſolationem Apoſtoli ſui, vt eum de præmio laborum ſuorum certum redderet, quo poſſet in fine vitę ſuæ diſcere cum fiducia: ζ *Ego enim iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona Iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iuſtus iudex: non ſolum autem mihi, ſed & ijs, qui diligunt aduentum eius*.

ζ 2. Tim. 4.

Deus idem ad conuertendos gentiles a ſceleribus præter Paulum qui Doctor Gentium fuit, vt Sibyllas, ita Theſpeſium miſit, cui defuncto reuelauit defunctorum & purgantium ſortem, & beatorum gloriam, & damnatorum infelicitatem. Quia vero anima Theſpeſij non fuit omnino pura a labe ſcelerum patratorum in corpore, ad quod mox erat reuerſura; propterea dicitur eius anima corpoream ſecum afferre conditionem vmbræ poſt ſe in loco lucidiſſimo cæli, & conniuentiam; quas notas non habent in æthere mentes omnino purificatę a corporis inquinamentis penitus abiunctæ; quæ ſunt intus & foris vndique fulgentes. Earum tamen vidit varietatem multiplicem, pro diuerſitate conditionis illarum; enimvero Virgines puriſſima luce refulgent omnino, Martyres habent notas proprij martyrij &c. *Plu. Ceterum ſingula enarrans Theſpeſij ille cognatus (nihil enim impedit, quin hominum nominibus animas adficiamus) docuit Adraſteam Iouis & Neceſſitatis filiam omnibus flagitijs vindicem ſupremo loco collocatam eſſe, neque malorum quenquam ita vel magnum vel paruum vnquam fuiſſe, vt aut latendo, aut vim faciendo, pœnæ ſubducere ſe potuerit*. Lic. Deſcribit hic Diuinam Iuſtitiam, quam Adraſteam vocat Iouis & Neceſſitatis filiam; Iouis, quo nomine vt a Gentilibus intelligeretur, Deum ſummum deſignat: Nec eſſitatis vocabulo diuinam Immutabilitatem indicat; vt *a* Adraſtea ſit

a Ariſt. de mund. c. 7. in f.

Iu-

Iuſtitia ſummi Dei Immutabilis; omnia delicta puniens, tam magna, quam exilia debitis pœnis: recteque ponit diuinam Iuſtitiam eſſe omnia intime noſcentem, vt nihil eam latere valeat; & omnipotentem, vt nihil omnino contra niti queat. *Plu. Porro alios aliter puniri, & ipſam tria ſuppliciorum genera tueri, atque exſequi. Quoſdam enim (aiebat) ſtatim in corpore, & per corpora plectendos pœna velox arripit miti quadam ratione, & quæ multa omittat expiationis indigentia.* Lic. Ita Iuſtitia diuina punit ante mortem ſcelera viuentium citra condignum, pœna breuis durationis, & mitis afflictionis: vnde recte Dauid eligens adhuc viuens trium dierum peſtilentiam potius, quam trium menſium fugam a facie ſuorum hoſtium, pro pœna delicti ſui, a Domino in optionem data, dicit: *b Coarctor nimis; ſed melius eſt vt incidam in manus Domini: (multæ enim miſericordiæ eius ſunt) quam in manus hominũ.* b 2. Reg. 24.
Addit *Plu. Quorum vero malitia operoſiorem flagitat Medicinam; eos Genius poſt mortem Iuſtitiæ tradit.* Lic. Hi ſunt, quos in purgatorio longe maiori pœna cruciat malus genius, qui eos viuentes ad peccandum induxerat; etenim atrox ibi diuinæ Iuſtitiæ miniſter animas plectit tandiu, quandiu purgentur atque ſanentur ab omni labe culpæ. *Plu. Prorſus autem inſanabiles Iuſtitia repellente, tertia, & ſæuiſſima Adraſteæ adminiſtrarum Erynnis hinc inde vagantes atque fugientes curſu adſequens miſerabiliter, atque immaniter vniuerſos abolet; inque locum demergit, qui neque cerni oculis, neque viſu adiri poteſt.* Lic. Ita graphice deſcribuntur in inferno damnati; qui ſunt prorſus inſanabiles, quum nunquam a culpa purgari valeant; ad differentiam eorum, tum qui viuentes in tribulatione purgantur, velut aurum in c fornace: tum qui mortui pœnas luunt in purgatorio; nam vtrique ſanabiles aliquando ſunt a labe peccati: ſed in inferno nulla ſpes, nullaque c Sapien. 3

ſalus affulget vnquam. Hos in æternum Iuſtitia repellit a Dei miſericordia, tamquam indignos veniæ; quum peccatores viuentes, & defunctos in purgatorio diuina Iuſtitia, peractis debitis pœnarum ſatisfactionibus admittat in Dei gratiam. Quin & mortales affligit Deus miniſterio Angelorum tam bonorum, vt *d* Sennacheribi milites, *e* Romanos in peſtilentia, & Dauidis *f* populum: tum etiam malorum, vt *g* Iob, & eius filios: Purgatorij ſimiliter animas Dæmonum ſuorum miniſterio plectit, ob culpas eorum ſuaſu tentationeque patratas: At in inferno damnati torquentur a tertio genere Dæmonum truculentiori, quod Erynnis Furiaque ſæuiſſima dicitur, quæ fugientes animas ab eis, curſu aſſequitur, miſerabiliter ac immaniter enecat indeficienter pœna ſenſus, ac demergit in *h* tenebras exteriores; ac extra diuinæ miſericordiæ infinitæ fines, priuans illas æterna viſione Dei, qui lux eſt infinitæ claritatis, quæ pœna damni eſt omnium atrociſſima. Ceterum tria iſta pœnarum genera diſtinctius exponens addit ex Theſpeſio Plut. *De ceteris vindictis ea, quæ in hac vita pœnam infligit, barbaricarum eſt ſimilis. Sicut enim apud Perſas eorum qui puniuntur, veſtes atque tiaras conuellunt, ac flagellant, ipſis plorantibus, & vt deſiſtatur cœpto obſecrantibus; ita ſupplicia, quæ a facultatibus exiguntur, vehementem non inferunt ictum, neque ipſam attingunt malitiam; ſed pleraque tantum opinionem quandam, ſenſumque externum pœnæ præbent.* Lic. Vere qui mortales in hac vita puniuntur a diuina Iuſtitia, comparati ad eos, qui mortui plectuntur in purgatorio, vel in inferno, non aliter ac apud Perſas improbi puniuntur; quorum veſtes tantum atque tiaræ diſcinduntur, & percutiuntur; illis interim plorantibus, qui non attinguntur a plagis, & orantibus flagellatores, vt deſinant ab inceæpto; nam in hac vita pœna corporalis eſt, non attingens ani-

d 2. Paral. 33.
e Turſell. epi. hiſt. l 6.
f 2. Reg. 24
g Iob. 1. & ſeqq.
h Matth. 8. Iud. epiſt.

animam; corpus autem eſt velut indumentum animæ. Neq; ſolum ex *g* Epicteti ſententia viri fortes, & martyres negligunt pœnas corporis; verum etiam flagitioſi viſi ſunt contemnere carnificum cruciatus; corpora ſua pro nihil ad ſe pertinentibus habentes: atque corporei cruciatus opinionem tantum pœnæ præbent, ijs qui ſe cruciari putant, dum corpore torquentur; quum martyres & alij pœnis non ducant corporum ſuorum plagas & excarnificationes; at externæ rei ſibi adiacentis lacerationes; non intimæ ſuæ ſubſtantiæ. Poſtea de mortuorum pœnis agit ita: *Plut. Qui vero hinc pœna euitata; & inexpiatus eo peruenit; hunc excipiens Iuſtitia conſpicuum atque nudum, ac qui prauitatem ſuam nulli rei immergere, nullo velare modo poſuit, ſed vndequaque ab omnibus talis qualis eſt perſpiciatur; primum parentibus, ac maioribus ſuis probis (ſi quidem tales ſint) demonſtrat indignum ipſis, atque conſpuendum. Sin mali fuerint, pœnas eorum videns, ipſis viciſſim cernentibus plectitur per longum ſatis tempus, ſingula vitia ijs luens doloribus, ac cruciatibus, qui magnitudine & vehementia tanto ſuperant corporis dolores, quanto res vera eſt, quam ſomnium efficacior. Cicatrices autem, & vibices reſtant a ſingulis vitijs, maiores alijs, alijs minores.* Etc. Nihil magis veritati conſonum catholicæ dici poterat de damnatorum defunctorum pœnis; Qui namque vitans in hac vita pœnitentiam agere de delictis, & inexpiatus a criminibus decedens, peruenit ad inferos; hunc excipiens diuina Iuſtitia omniſciens, conſpicuum ſibi manifeſtumque peccatorem, atque nudum corpore pariter ac meritis, gratiaque diuina; quique malitiam culpæ ſuæ nulli rei poſſit immergere, non lacrymis propriæ pœnitentiæ, non aquis eleemoſynarum, quæ ad inſtar aquæ ſolent *h* extinguere ignem peccati, neque patiuntur animam ire in *i* tenebras; non ſanguini Redemptoris; nec

g in Enchirid.

h Eccl. 3.

i Tob. 4.

vllo

cis impetranda, meruit a vero Deo ſummo exaudiri; vt
g 6. ſtrom. antea vidimus obſeruatum a Clemente *g* Alexandrino.
Sequitur afferre narrationem Theſpeſij ad vitam reuocati, dicentis *Plu. Nam ſimul atque mens corpore excidit, principio eiuſmodi ſenſit mutationem, qualis eueniret gubernatori e naui in profundum mare abiecto. Deinde paululum elatus, viſus eſt ſibi totus reſpirare, & anima veluti vnico oculo aperta vndiquaque circunſpicere. Conſpexit autem nihil eorum quæ antea, ſed ſtellas ingentes, & inter ſe immenſis diſtantes interuallis, ſplendoremque admirabilis coloris emittentes efficacitate præditum, ita vt anima eo leuiter vecta, tanquam in ſerenitate in lumine vſquequaque celeriter vagaretur.* Lic. Nimirum anima defuncti Theſpeſij, dum a nexu corporis violente ſepararetur, videtur ſibi perpeſſa ſubmerſionem in profundum, obſcuratione ſenſuum, abſtractioneque a parte ſenſitrice, vegetalique, quibus amice naturaliter erat vnita. Deinde ſibi viſus
h 1. de an. eſt totus reſpirare Theſpeſius, quia vt ait *h* Ariſtoteles,
t. 49. & melius eſt intellectui non eſſe cum corpore; & anima non
12. meta. amplius duobus oculis corporeis, at ſolo intellectu velut
t. 51. vnico oculo, *i* non impedito materia corporea, quæ
i 3. ethic. rebus quibusque ineſt, cauſa eſt occultationis *k* & igno-
c. 6. rantiæ, aperta vndiquaque omnia circumſpicere diſtin-
2. meta. t. 1. cta cognitione citra nubem erroris, non velata fallaciæ
k 8. phyſ. nebula prorſus vlla. Conſpexit autem nihil eorum, quæ
t. 32. antea, quia e terris in cęlum abductus eſt, vbi nihil eſt ele-
7. meta. mentarium rerum: adeoque perſpexit ibi ſtellas ingen-
t. 35. tes, cuiuſmodi vere ſunt, etſi nobis ob maximam diſtantiam appareant exiguæ; ac inter ſe diſtantes immenſis interuallis, etſi ſenſui noſtro propinquæ videantur ad inuicem, ob ampliſſimam intercapedinem locorum cæleſtium, ac terrenorum: ſplendorem emittentes admirabilis coloris efficacitate præditum; quia lumen quo fonti

ſuo

ſuo proximius eſt, eo purius, & efficacius eſt. Sed & natura ſpiritualis Angelorum incorporea ſe ſe menti Theſpeſij ſub ratione ſplendoris agnoſcendam dedit; qui ex aſtris emitteretur; nam aſtra ſingula proprijs reguntur Angelis; & ex ætherea ſiderum regione Angeli lucis deſcendunt ad inferiorem mundum, vecturæ ſurſum celeriter animas morientium prædeſtinatorum in cælum; Angelorum enim proprium attributum ſplendorem eſſe monent Sancti *l* Patres; qui eos nomine ſplendorum appellant in Pſalmis: *m In ſplendoribus Sanctorum ante Luciferum genui te*. vbi dicunt: *In æternitate virtus diuina conſpicitur, non ab alijs, ſed a Sanctis: quando in reſurrectione erunt ſplendidi, vt Angeli Dei*: quare anima Theſpeſij dicitur in lumine, hoc eſt ab Angelo vſquequaque celeriter vecta tanquam in ſerenitate, tum quia ſupra mundum elementarem in cælis perpetua ſerenitas eſt ætheris: tum quia mira eſt Angelorum celeritas, ob abſentiam materiæ, tarditatem motui conciliantis. *Plu. Præterea hic plurima ſpectacula ab eo commemorata. Animas autem morientium narrabat quum ſurſum adſcendunt, aere cedente bullam efficere flammeam: qua deinde ſenſim rupta, exeant forma prædita humana, mole exigua, & motu non eiuſdem omnibus modi; quaſdam enim celeritate admirabili exilire, & ad rectam lineam ſurſum emicare: alias fuſi inſtar, in orbem conuerſas: alias ſurſum, alias deorſum vergendo, miſta quadam & turpida moueri agitatione, vix longo admodum temporis tractu ſubſiſtente*. Lic. Affabre deſcribere Theſpeſius incipit conditiones animarum defunctorum, dum a corpore ſeparantur; & primo diſtincte deſcribit animas illas, quæ pœnis Purgatorij detinentur; quoniam vero vix vlla eſt, nullaque ab eo viſa, quæ purgationis non indiga, ſtatim a corpore tendat ad gloriam; proinde dicit, animas morientum abſolute, quum ſurſum aſcendunt.

l Auguſt. Caſſiod. Aygua.
m Pſ. 109.

dunt prædeſtinatæ ad felicitatem, aere cedente bullam efficere flammeam; quia flamma purgatrice circumdantur in figuram bullæ, intra quam continentur; cuius rei typum habemus apud *n* Ariſtotelem agentem de cælo, quod in ſua figura ſphærica retinet dextrum, ſiniſtrum: ſurſum, deorſum: ante, & retro; proindeque cunctas poſitionum differentias, vt homo; dicit enim, *Sed intelligere oportet, quemadmodum, ſi quis in quibus habeat dextrum ad ſiniſtrum differentiam, etiam figuris, deinde circumponat ſphæram; habebit enim potentiam differentem: videbitur autem minime, propter ſimilitudinem figuræ*. Sic dum anima ſeparatur à corpore cum aliqua labe, ſtatim ad eam purgandam pro gloria, diuina Iuſtitia circumponit illi flammam ignis Purgatorij, qui materialis eſt, vnde concluditur anima intra flammeam bullam; qua deinde ſenſim rupta, detracto igne purgante, quo circumdatæ animæ obnubilabantur, poſt purgationem exeuntes humana forma (quia fuerunt hominis formæ ſubſtantiales, eius corpori coextenſæ penitus; vt olim proprio volumine comprobauimus, ſub titulo *De Animarum coextenſione corpori*) ſurſum aſcendunt ad cæli gloriam, aere illis incorporeis omnino cedente, hoc eſt nihil earum aſcenſum remorante; ſunt autem exigua mole ſingulæ, quia ſine materia, quam proprie magnitudo ſequitur. Aguntur autem in eà flamma non omnes motu eiuſdem modi, ſed vario pro varietate purgationis debitæ; nam quæ ceteris puriores minima labe ſunt inquinatæ, celeritate mirabili de flamma exilientes ad rectam lineam ſurſum in cælum emicantes euolant. Aliæ maiori labe coinquinatæ diuturnioris indigæ purgationis, in ea bulla flamma circumuoluuntur ad inſtar fuſi rotati longiore vertigine ſenſim aſcendentes. Aliæ demum adhuc tetriori culpa maculatæ, ſurſum & deorſum miſta quadam & inconcin-

na

n 2. cæl. t.13.

na mouentur agitatione diuturna, vt vix longiſſimo temporis tractu ſubſiſtant in cælum recipiendæ, poſt diuturnæ purgationis agitationem: nam varium eſt tempus morandi præſcriptum animabus in pœnis purgatorij, alijs breue, alijs longius, alijs diuturniſſimum, pro varietate demeriti purgandi. Quarum pœnarum varietas eſt non tantum penes durationem extenſiua, ſed etiam penes atrocitatem intenſiua; quod illico refert aiens: *Plu. Pleraſque earum ignorabat (vt retulit) quorum eſſent.* Lic. Etenim ex vniuerſi mundi plagis animas defunctorum vidit in purgatorij loco. *Plu. Duas aut tres, notas ſibi, quum conſpexiſſet, conatus eſt accedere, & alloqui: illæ autem neque audiebant, neque apud ſe erant, ſed mentis expertes, ac conſternatæ, omnem conſpectum, tactumque fugientes vagabantur primum ſeorſim vnaquæque, deinde multis eodem modo affectis obuiam factæ & implicatæ, motibus promiſcuis & temerarijs ciebantur, vocesque edebant obſcuras, quaſi vociferationes eiulatu & pauore miſtas.* Lic. Nimirum quæ purgantur animæ, tam atroci pœna nonnullæ cruciantur, vt mentis impotes, ac ob ſæuitiam doloris extra ſe poſitæ non audiant notos alloquentes; neque conſiſtere valeant in eodem loco, neque moueri pacate, aut ordinate; ſed inconditis agitationibus cieantur; neque clare lamentari, ſed vociferationes edere ſubobſcuras, eiulatu, pauoreque permiſtas; non audent clare lamentari, ſcientes ſe digne pati; vociferationes edunt cum eiulatu, propter atrocitatem pœnarum; & pauorem habent Dæmonum, miniſtrorum Diuinæ Iuſtitiæ, nunquam non eas territantium, & in ipſas minaciter ac horribiliter irruentium. Poſt hæc affert de iam purgatis, & in gloriam iam introductis animabus, addens: *Plu. Aliæ autem ſupra in ſummo ambientis erant adſpectu ſplendidæ, & inuicem ob beneuolentiam coeuntes.* Lic. Nimirum in cælo,

o 1. meteo. ſu. 1. c. 3. lo, quod & Ariſtoteles ambientem *o* magnitudinem appellat; quinimmo in ſummo cæli culmine, vbi ponit Ariſtoteles beatas *p* mentes, viſæ ſunt a Theſpeſio animæ (p 1. cæl. t. 100.) ſplendidæ, quia ſunt amictæ lumine gloriæ; qui ſplendor *q* apparuit in facie Chriſti Domini transfigurati: & inuicem beneuolentia iunctæ; nam inter beatos mira charitas, vbi nulla fides, neque ſpes eſt; qui vident manifeſtiſſime, poſſidentque Diuinam Gloriam actu præſentem. (q Matth. 17 Marc. 9.) *Plu. Tumultuantibus iſtis vitatis ſignificabant nimirum ſe ſe in ſe trahendo moleſtiam, extendendo autem & pangendo gaudium, & approbationem.* Lic. Quia felices animæ ſegregatæ iam a tumultuoſe cruciatis in pœnis purgatorij, reſpicientes de cælo tribulatis illis indicabant veluti moleſtiam miſerationis, ſeſe contrahendo vt faciunt, qui miſeris patientiam ſuadent vſque ad præſtitutum tempus refrigerij: & extendendo illis quaſi manus adiutrices, pangendoque pro illis Deo ſummo carmina precum, gaudent de futura illarum liberatione; ſimul approbantes Diuinam Iuſtitiam eas purgantem, vt puros ad æternam gloriam introducat: dicente Domino,

r Luc. 15. *r quod gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pænitentiam agente:* ſunt enim qui purgantur, peccatores, pœnaſque luunt condignas de culpis, eoſque deliquiſſe pœnitet plurimum. *Plu. Ibi aiebat quandam cuiuſdam cognatorum animam, quem vt pote ipſo puero mortuum non ſatis bene agnoſceret, prope acceſſiſſe, ac dixiſſe: Salue Theſpeſi:* Lic. Potuit autem cognatus ille Theſpeſij ſaluus eſſe, qui vixerit ſecundum leges naturæ, vt de multis Ethnicis antea vidimus: coniunctum autem decuit illi talia reuelare, quem loquentem intelligeret & vera dicere confideret. Atque recte ſalutem impertiuntur aduenis animæ beatæ; quum id efficere nequeant in tartaro damnatæ, quæ cunctis diras imprecantur, neminem ſaluum eſſe deſi-

deſiderantes: neque purgantes, quæ ſalutem non adhuc habent, quam alijs impertiantur. *Plu. Miratum ſe reſpondiſſe: Non Theſpeſius ego ſum, ſed Aridæus: tum animam intuliſſe: Prius quidem Aridæus fuiſti, poſtmodum autem Theſpeſius (vox ea diuinum ſignificat) eris: non enim mortem obijſti:* Lic. Simpliciter & abſolute, nondum corruptis animæ tuæ partibus inferioribus, poſt egreſſum tuæ mentis e corpore, ad quod es reuerſurus. *Plu. Sed diuino quodam fato huc venit mens, reliquis animæ facultatibus velut anchora in corpore relictis. Atque rurſum nunc tibi argumento hoc ſit, quod animæ defunctorum neque vmbram faciunt, neque conniuent. His auditis Theſpeſius iam & magis colligere ſe ac ad rationis vſum redire cepit; & quum perſpexiſſet, animaduertit ſibi comitari appendicis loco obſcuram quandam & vmbroſam lineam.* Lic. Vmbra fuit illa, non vera corporis, at metaphorica, myſticaque reatus, & culpa, delictorum ab ſe dudum in corpore patratorum. *Plu. Illas vero animas fulgore circumdari ac intus eſſe pellucidas, non omnes tamen eodem modo: nimirum alias plenæ inſtar ſ puriſſimæ Lunæ vnum colorem lenem ac continentem æquabiliter exhibere, alias ſquamis quibuſdam ac t vibicibus percurrentibus maculatas; alias admodum varias & inſolenti adſpectu, u nigris notis viperarum inſtar compunctas: alias etiam obtuſis diſtinctas x fixuris.* Lic. Enimvero Theſpeſij fuit iſta mirabilis velut ecſtaſis, qua raptus fuit in cælum animo, ſine corpore; cuiuſmodi forte fuit D. Pauli raptus, aſſerentis: *y Si gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad viſiones, & reuelationes Domini. Scio hominem in Chriſto, ante annos quatuordecim (ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio; Deus ſcit) raptum huiuſmodi vſque ad tertium cælum. Et ſcio huiuſmodi hominem (ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio: Deus ſcit) quoniam raptus eſt in Paradiſum: & audiuit arcana verba, quæ*

ſ Virgines.
t Martyres.
u D. Laurentius.
x D. Franc. Stigm.
y 2. Cor. 12

non licet homini loqui. Miſericors autem Deus, qui ad conſolationem Apoſtoli ſui, vt eum de præmio laborum ſuorum certum redderet, quo poſſet in fine vitę ſuæ diſcere cum fiducia: ζ *Ego enim iam delibor, & tempus reſolutionis mea inſtat. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona Iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iuſtus iudex: non ſolum autem mihi; ſed & ijs, qui diligunt aduentum eius*.

ζ 2.Tim.4.

Deus idem ad conuertendos gentiles a ſceleribus præter Paulum qui Doctor Gentium fuit, vt Sibyllas, ita Theſpeſium miſit, cui defuncto reuelauit defunctorum & purgantium ſortem, & beatorum gloriam, & damnatorum infelicitatem. Quia vero anima Theſpeſij non fuit omnino pura a labe ſcelerum patratorum in corpore, ad quod mox erat reuerſura; propterea dicitur eius anima corpoream ſecum afferre conditionem vmbræ poſt ſe in loco lucidiſſimo cæli, & conniuentiam; quas notas non habent in æthere mentes omnino purificatę a corporis inquinamentis penitus abiunctæ; quæ ſunt intus & foris vndique fulgentes. Earum tamen vidit varietatem multiplicem, pro diuerſitate conditionis illarum; enimvero Virgines puriſſima luce refulgent omnino, Martyres habent notas proprij martyrij &c. *Plu. Ceterum ſingula enarrans Theſpeſij ille cognatus (nihil enim impedit, quin hominum nominibus animas adficiamus) docuit Adraſteam Iouis & Neceſſitatis filiam omnibus flagitijs vindicem ſupremo loco collocatam eſſe, neque malorum quenquam ita vel magnum vel paruum vnquam fuiſſe, vt aut latendo, aut vim faciendo, pœnæ ſubducere ſe potuerit*. Lic. Deſcribit hic Diuinam Iuſtitiam, quam Adraſteam vocat Iouis & Neceſſitatis filiam; Iouis, quo nomine vt a Gentilibus intelligeretur, Deum ſummum deſignat: Neceſſitatis vocabulo diuinam Immutabilitatem indicat; vt a Adraſtea ſit

a Ariſt. de mund. c.7. in f.

Iu-

Iuſtitia ſummi Dei Immutabilis; omnia delicta puniens, tam magna, quam exilia debitis pœnis: recteque ponit diuinam Iuſtitiam eſſe omnia intime noſcentem, vt nihil eam latere valeat; & omnipotentem, vt nihil omnino contra niti queat. *Plu. Porro alios aliter puniri, & ipſam tria ſuppliciorum genera tueri, atque exſequi. Quoſdam enim (aiebat) ſtatim in corpore, & per corpora plectendos pœna velox arripit miti quadam ratione, & quæ multa omittat expiationis indigentia:* Lic. Ita Iuſtitia diuina punit ante mortem ſcelera viuentium citra condignum, pœna breuis durationis, & mitis afflictionis: vnde recte Dauid eligens adhuc viuens trium dierum peſtilentiam potius, quam trium menſium fugam a facie ſuorum hoſtium, pro pœna delicti ſui, a Domino in optionem data, dicit: *b Coarctor nimis; ſed melius eſt vt incidam in manus Domini; (multæ enim miſericordiæ eius ſunt) quam in manus hominũ.* b 2. Reg. 24. Addit *Plu. Quorum vero malitia operoſiorem flagitat Medicinam, eos Genius poſt mortem Iuſtitiæ tradit.* Lic. Hi ſunt, quos in purgatorio longe maiori pœna cruciat malus genius, qui eos viuentes ad peccandum induxerat; etenim atrox ibi diuinæ Iuſtitiæ miniſter animas plectit tandiu, quandiu purgentur atque ſanentur ab omni labe culpæ. *Plu. Prorſus autem inſanabiles Iuſtitia repellente, tertia, & ſæuiſſima Adraſteæ adminiſtrarum Erynnis hinc inde vagantes atque fugientes curſu adſequens miſerabiliter, atque immaniter vniuerſos abolet; inque locum demergit, qui neque cerni oculis, neque viſu adiri poteſt.* Lic. Ita graphice deſcribuntur in inferno damnati; qui ſunt prorſus inſanabiles, quum nunquam a culpa purgari valeant; ad differentiam eorum, tum qui viuentes in tribulatione purgantur, velut aurum in c fornace: tum qui mortui pœ- c Sapien. 3
nas luunt in purgatorio; nam vtrique ſanabiles aliquando ſunt a labe peccati: ſed in inferno nulla ſpes, nullaque

ſalus affulget vnquam. Hos in æternum Iuſtitia repellit a Dei miſericordia, tamquam indignos veniæ; quum peccatores viuentes, & defunctos in purgatorio diuina Iuſtitia, peractis debitis pœnarum ſatisfactionibus admittat in Dei gratiam. Quin & mortales affligit Deus miniſterio Angelorum tam bonorum, vt *d* Sennacheribi milites, *e* Romanos in peſtilentia, & Dauidis *f* populum: tum etiam malorum, vt *g* Iob, & eius filios: Purgatorij ſimiliter animas Dæmonum ſuorum miniſterio plectit, ob culpas eorum ſuaſu tentationeque patratas: At in inferno damnati torquentur a tertio genere Dæmonum truculentiori, quod Erynnis Furiaque ſæuiſſima dicitur, quæ fugientes animas ab eis, curſu aſſequitur, miſerabiliter ac immaniter enecat indeficienter pœna! ſenſus, ac demergit in *h* tenebras exteriores; ac extra diuinæ miſericordiæ infinitæ fines, priuans illas æterna viſione Dei, qui lux eſt infinitæ claritatis, quæ pœna damni eſt omnium atrociſſima. Ceterum tria iſta pœnarum genera diſtinctius exponens addit ex Theſpeſio *Plut. De ceteris vindictis ea, quæ in hac vita pœnam infligit, barbaricarum eſt ſimilis. Sicut enim apud Perſas eorum qui puniuntur, veſtes atque tiaras conuellunt, ac flagellant, ipſis plorantibus, & vt deſiſtatur cœpto obſecrantibus; ita ſupplicia, quæ a facultatibus exiguntur, vehementem non inferunt ictum, neque ipſam attingunt malitiam; ſed pleraque tantum opinionem quandam, ſenſumque externum pœna præbent.* Lic. Vere qui mortales in hac vita puniuntur a diuina Iuſtitia, comparati ad eos, qui mortui plectuntur in purgatorio, vel in inferno, non aliter ac apud Perſas improbi puniuntur; quorum veſtes tantum atque tiaræ diſcinduntur, & percutiuntur; illis interim plorantibus, qui non attinguntur a plagis, & orantibus flagellatores, vt deſinant ab incæpto: nam in hac vita pœna corporalis eſt, non attingens

ani-

d 2. Paral. 33.
e Turſell. epi. hiſt. l. 6.
f 2. Reg. 24
g Iob. 1. & ſeqq.
h Matth. 8. Iud. epiſt.

animalis; corpus autem eſt velut indumentum animæ. Neq; ſolum ex *g* Epicteti ſententia viri fortes, & martyres negligunt pœnas corporis; verum etiam flagitioſi viſi ſunt contemnere carnificum cruciatus; corpora ſua pro nihil ad ſe pertinentibus habentes: atque corporei cruciatus opinionem tantum pœnæ præbent, ijs qui ſe cruciari putant, dum corpore torquentur; quum martyres & alij pœnis non ducant corporum ſuorum plagas & excarnificationes; at externæ rei ſibi adiacentis lacerationes, non intimæ ſuæ ſubſtantiæ. Poſtea de mortuorum pœnis agit ita *Plut.* *Qui vero hinc pœna euitata; & inexpiatus eo peruenit, hunc excipiens Iuſtitia conſpicuum atque nudum, ac qui prauitatem ſuam nulli rei immergere, nullo velare modo poſuit, ſed vndequaque ab omnibus talis qualis eſt perſpiciatur; primum parentibus, ac maioribus ſuis probis (ſi quidem tales ſint) demonſtrat indignum ipſis, atque conſpuendum. Sin mali fuerint, pœnas eorum videns, ipſis viciſſim cernentibus plectitur per longum ſatis tempus, ſingula vitia ijs luens doloribus, ac cruciatibus, qui magnitudine & vehementia tanto ſuperant corporis dolores, quanto res vera eſt, quam ſomniuin efficacior. Cicatrices autem, & vibices reſtant à ſingulis vitijs, maiores alijs, alijs minores.* Etc. Nihil magis veritati conſonum catholicæ dici poterat de damnatorum defunctorum pœnis; Qui namque vitans in hac vita pœnitentiam agere de delictis, & inexpiatus à criminibus decedens, peruenit ad inferos; hunc excipiens diuina Iuſtitia omniſciens, conſpicuum ſibi manifeſtumque peccatorem, atque nudum corpore pariter ac meritis, gratiaque diuina; quique malitiam culpæ ſuæ nulli rei poſſit immergere, non lacrymis propriæ pœnitentiæ, non aquis eleemoſynarum, quæ ad inſtar aquæ ſolent *h* extinguere ignem peccati; neque patiuntur animam ire in *i* tenebras; non ſanguini Redemptoris; nec vllo

g in Enchirid.

h Eccl. 3.

i Tob. 4.

i Euang. Iudicij. vllo modo velare queat quapiam *i* excuſatione digna; ſed a Creatore ſimul, & ab omnibus creaturis alterius vitæ tam electis, quam damnatis perſpicitur vndiquaque talis qualis eſt, abhominationum pleniſſimus, quas antea patrauit nedum opere, ſed ſermone, ac deſiderio: primum ſuis maioribus, & parentibus, ſi quos habet in cælo beatos, & in purgatorio probos, oſtenditur indignus, qui cenſeatur inter illorum proſapiam, & conſpuendus ac execrandus tanquam degenerans ab auita, paternaque virtute. Sin vero maiores ac parentes habuerit malos etiam in inferno damnatos; hic ad eos deſcendens affligitur intuens illorum tormenta, viciſſimque plectitur coram eis, ipſorum pœnas adaugens; quo nomine Diues
k Luc. 16. Epulo cruciatus in inferni flamma rogabat *k* Abraham fruſtra, vt Lazarum mitteret ad quinque fratres etiamnum viuentes, monitorem ne vitijs indulgentes, in obitu detruderentur in tartara; ſed vitam mutarent nequam in frugi: Quam quidem pœnam tartaream illæ ſontes animæ paterentur per longum tempus abſolute, hoc eſt per omne tempus, perque totam æternitatem: ſingulaque peccata, nullo penitus excepto, miſerrimæ defunctorum ſontium animæ luant ijs doloribus & cruciatibus, qui magnitudine ac vehementia comparati ad pœnas corporales in hac vita, tanto ſuperant iſtas, quanto vera pœna corporis eſt efficacior quam pœna ſomniorum imaginaria; nam ignis inferni comparatus ad noſtrum ſe habet vt verus ad pictum. Reſtant autem in animabus defunctorum damnatis notæ ſingulorum delictorum anteactorum, tanquam vibices ac cicatrices; quæ ſunt demerita, in alijs maiores, in alijs minores, diſpari pœna puniendæ. Quæ demerita cunctis in animabus poſt mortem a culpis remanentia, nata purgari ac expiari, ſtatim varietate colorum diſcriminat. *Plu. Iam mihi (aiebat) conſidera varios*

iſtos

iſtos animarum & omnigenos colores. Squalidus iſte & caliginoſus, illiberalium ſordium eſt pigmentum, atque auaritiæ: Sanguinolentus & igneus, crudelitatis atque ſæuitiæ: ceruleus, intemperantiæ circa voluptates: liuidus ac violaceus, qualis atramenti, quod ſepia emittit, inuidiæ ac malignitatis. Etenim vt hic vitioſitas per animæ motus in corpora certos colores dedit, ita ibi color finis eſt luſtrationis atque pœnæ. His coloribus omnino deterſis, anima ſplendida & macularum expers redditur. Quandiu autem inhærent, reciprocant affectus cum ſaltu quodam & agitatione, quæ in quibuſdam languidior eſt, ac facile extinguitur; in alijs vehementer ſe intendit. Ac harum animarum aliæ iterum iterumque punitæ conuenientem ſibi habitum affectionemque tandem adipiſcuntur. Nota demeritorũ animarum in purgatorio.

Lic. His apte deſignantur differentiæ culparum atque pœnarum in animabus, quæ in Purgatorio expiantur; nam pro varietate colorum, quos in corpore vitia producebant in hac vita mortali, conſimiles colores in anima culpæ formabant; qui colores eluendi ſunt flamma, ſicuti ſordes in asbeſtina tela purgantur in igne noſtrate; quo mantilia ex amianto contexta, purificantur & illuſtria fiunt, obſeruatu Plinij: *l* Quibus coloribus reatuum omnino deterſis, anima tota fulgida redditur & ſine maculis. At quandiu maculæ demeritorum inhæſerint animabus, tandiu flamma cruciat & exagitat eas; & pro varietate maioris vel minoris demeriti, purgans agitatio pœnoſæ flammæ in alijs imbecillior eſt, & breuioris durationis; in alijs intenſior, & longior. Atque talium animarum, longo & acerbo tormento cruciatarum, pœna non eſt ęterna, ſed tandem adipiſcuntur conuenientem ſibi puritatis habitum & affectionem beatitudinis, & gloriæ. Quæ vero ſubdit immediate, difficillimam habent explicationem: ait enim *Plut. Alias rurſum in corpora animalium expellit violentia quædam inſcitiæ,* l.19.c.1.

ac

ac cupiditatis voluptatum genus; nam rationis imbecillitas ob contemplatricis facultatis ſocordiam actiuam inclinat ad procreationem: hæc quum inſtrumentum intemperantiæ deſideret, cupit ſuos appetitus ad fruendum perducere, & per corpus implere; iſthic enim nihil niſi vmbra quædam imperfecta & ſomnium voluptatis nunquam implendæ adeſt. Lic. Quæ tamen vtcumque poſſunt explicari de damnatorum animabus, intemperantibusque ſpeciatim; quas violentia quædam atrox inſcitiæ, qua non agnoſcunt Diuinæ Iuſtitiæ rationem impermutabilem a recto iudicio ipſas æternum puniendi; vehementiaque cupiditatis voluptuoſæ, quam non dereliquerunt in corpore, a quo ſeiunctæ ſunt; has inquam intemperantium animas in inferno cruciat intenſiſſima libido, vt eas, cogitatione ſaltem ac deſiderio, expellat iterum in animalium corpora, libidinis œſtro ſpurcas in voluptates volutari ſueta; nam infirmitas mentis earum obtenebratæ vitio, ſatis inducit illas ad actum procreationis ſobolis; adeoque deſiderat intenſe inſtrumentum corporeum intemperantiæ, cupitque vehementiſſime perducere ſuos appetitus libidinoſos ad actum obſcœnum, & illos adimplere per aſſumptionem corporis vel brutalis, vbi non datum ſit humani: Quum in inferno non adſit vlla voluptas, ac niſi quædam vmbra ſomniumque voluptatis, quæ nunquam adimpleri poteſt. Hæc autem libido nunquam adimplendæ voluptatis, miſeras illas intemperantium animas admirabiliter excruciat in æternum; quæ ſeparatæ ab humanis corporibus, cupiunt ad corpora ſaltem porcorum reuerti, damnatorum dæmonum illorum ad inſtar, qui degentes in corporibus duorum hominum libidine pollutorum, cuius peccati occaſione ipſos obſederunt, dum ab eorum corporibus eijcerentur a Domino, rogauerunt eum vt ſibi liceret in porcos *m* ingredi: quam ſen-

m Matth. 8. Marc. 5. Luc. 8.

ten-

tentiam D. Chryſoſtomus, *n* & Auguſtinus *o* habuere, dicentes Chriſtum oſtendere voluiſſe Dæmones in hominibus porcorum more viuentibus libenter habitare. Damnati namque ſummo erga Deum odio cupiunt ipſum iiſdem criminibus offendere ſemper, ob quæ reprobati pœnas luunt; adeoque corporibus vniri, ſine quibus ea crimina patrare nequeunt. *Plu. Hæc locutus, Theſpeſium celeriter ſane, cæterum per immenſum ſpacium, vt apparebat; produxit facile atque expedite pergentem; quippe qui ſplendore luminis; tanquam alis veheretur.* Lic. Sane mentes incorporeæ tum beatorum hominum, tum etiam Angelorum motu celerrimo facile perducuntur ad loca diſtantiſſima, quod corpulentia medij retardare nequeat vlla ratione tranſitum ſubſtantiarum ſpiritualium, omnino corporis expertium; vt aperte conſtat ex *p* D. Thoma. Dicuntur autem animæ vehi ſplendore luminis tanquam alis, quia portantur *q* ab Angelis, qui nomine ſplendoris appellantur, *r* & alis donati pinguntur, ob celeritatem *ſ* miniſterij, motusque ſui. *Plu. Donec ad magnum quendam hiatum deorſum penetrantem fuit peruentum; ibi deſertus a vi eum tenente, vidit alias idem pati animas: inſtar auium enim coeuntes eo, atque in orbem circum hiatum obambulantes, recta tranſire non audebant. Ipſe hiatus intus Bacchici in morem antri conſpiciebatur materia, viriditate, & floribus omnis generis varie ornatus; exhalabat autem lenem auram, quæ odorem exhibebat ſuauitatis admirabilis, eamque temperiem adferebat fruentibus, quam vinum ſolet ebrijs; nam fragrantia illa perfruentes animæ, lætitia perfundebantur, ſibique inuicem blandiebantur.* Lic. A loco beatarum mentium in cælis anima Theſpeſij, ſimul & cognati perductæ fuit motu celerrimo ad hiatum diſtantiſſimum valde magnum Purgatorij, vbi patiuntur animæ vicinæ exitui ad gloriam. Ibi derelictus Theſpeſius

n Homil. 30.
o tr. 6. in can. Ioan.
p 1. p. q. 50. & ſeqq.
q Ioan. 11.
r Aug. pſal. 109.
ſ Gloſ. ord. in Iſai. 6.

ab Angelo vt eas contemplaretur diutius, dicitur deſertus a vi ſeu virtute motrice eum tenente: magna vero mediat intercapedo loci diſiungens locum cæleſtem a loco terreno Purgatorij; ac longe maior, quam quæ reperitur in terra inter ſinum Abrahæ prope Purgatorium, & infernum damnatorum; inter quæ tamen duo loca magnum chaos eſt, vt Epulo viderit ex inferni pœnis a

t Luc. 16. *t* longe Lazarum in ſinu Abrahæ. Locus autem iſte purgatorij deſcribitur, in quo patiuntur animæ, inſtar auium eo coeuntes, & in orbem circa hiatum ambulantes, recta tranſire hiatum non audentes, quia proximæ quum eſſent integræ purgationi, mox inde cælum aſcenſuræ, ſe ſe conglomerabant circa Purgatorij os obambulantes, non audentes egredi recto tranſitu ex ore laci contra diuinæ Iuſtitiæ decretum; quæ nihil permittit niſi pleniſſime purgatum ex eo loco recta ſurſum ad gloriam aſcendere. Myſtice vero dicitur hiatus ille Purgatorij conſpici varie ornatus floribus omnium generum & viriditate; quia ſpem viridem habent ibi patientes animæ cito aſcendendi de pœnis ad æterna gaudia; flores autem ſunt eleemoſynæ, orationes & preces, quæ pro defunctis offeruntur a fidelibus, & ab Eccleſia; nam oratio fidelium ferri dicitur ad Dominum ſicut halitus accenſi thuris ſua-

u Orig. in Ezech. ho. 7. & Leuit. ho. 9. *u* uiſſimus: orationes autem mortalium pro defunctis attemperare pœnas Purgatorij, ac velut auras lenes mitigare tormenta ignis animarum ibi cruciatarum ob quas preces, & eleemoſynas viuentium pro ſe Deo oblatas, animas Purgatorij mirifice lætari, ſibique inuicem blan-

x Cant. 5. & alij. diri, ac veluti vino dulciſſimo *x* inebriari, notiſſimum eſt apud orthodoxos Patres omnes: Quem locum mirifice videtur expreſſiſſe Pſaltes, agereque De Purga-

y Pſal. 22. torium incolente: *y Nam etſi ambulauero in medio umbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua,*

&

& baculus tuus, quibus me plectis in purgatorio, *ipſa me conſolata ſunt*, porrigentia ſpem viridem proximæ conſolationis: *Paraſti in conſpectu meo menſam* Sacramenti Euchariſtiæ; & eleemoſynarum pauperibus a proximo meo conſanguineo viuente erogatarum, pro ſuffragio defunctorum; *aduerſus eos* malos Dæmones, *qui tribulant me* pœnis Purgatorij. *Impinguaſti in oleo* miſericordiæ tuæ *caput meum: & calix meus inebrians* orationum & eleemoſynarum ab amicis meis porrectarum, *quam præclarus eſt* ad mihi ſalutem cito comparandam! *Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ*, quæ futura eſt æterna. *Et vt inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum* æternitatis, cæleſte domicilium beatorum incolens. Apte vero gentilis Ethnicis deſcribens locum Purgatorij ſimilitudine ſpeluncæ Bacchanalium vtitur; quia res abditæ per euidentes conſimiles explicari debent, Ethnicis autem Purgatorij locus abditiſſimus ignotusque penitus erat, e contra notiſſimum antrum Bacchi; cum quo maximam analogiam habebat ille; nam in antro Bacchi continuus erat vlulatus inconditus Baccharum thyrſigerarum, aſſiduus clamor & ſtridor queritantium iuuenum, qui ſæuiſſime trucidabantur; furentesque Bacchæ ſerpentibus, ardenti thyrſo circumplicatis atrociter in imbecilles vbiq; ſæuiebant; vt ex z hiſtorijs antiquorum apertiſſime conſtat: ita furiæ Dæmonum in Purgatorio ſemper inconditis clamoribus animas, quæ ſibi nullum ferre valent adiumentum obiurgant de commiſſis erroribus, atque non ſolum territant, ſed ignitis titionibus ac vncinis feriunt, ſerpentibusque vulnerant, atque trucidant immaniter. *Plu. Circa eum locum in orbem erat Bacchatio, riſus, omnisque iocantium & ſe ſe oblectantium muſa.* Lic. Porro circa Purgatorij portam, ex qua ſemper exeunt animæ iam expiatæ, manet

z Liu. l. 39. Pol. Virg. de rer. inu. l. 3. c. 17.

ingens numerus Angelorum, qui fuere cuſtodes illarum; expectantes vnuſquiſque ſuam perferendam ad Empyrei gaudium: Qui vero paulo poſt exituras præſtolantur, lætitia geſtiunt, ſeſeque cantibus diuinis oblectant, ac veluti ſanctam bacchationem cum riſu hilaritatis atq; tripudij peragunt. Quæ vero ſequuntur, adhuc maioris obſcuritatis propoſuit *Plu. Atque ea cognatus ille Theſpeſij dicebat Bacchum in Deos abijſſe, Semelemque poſtea eodem adduxiſſe; vocari autem Lethę, id eſt obliuionis locum.*

Lic. Quæ niſi myſticam obtineant interpretationem; exiſtimandum eſt, vt Sibyllę inter vaticinia vera De Chriſto Domino, & alijs myſterijs orthodoxæ Fidei, non raro fabulas Gentilitatis effutiunt: vt late videre eſt apud Opſopæum, qui Sibyllina carmina collegit. Myſtica vero explicatio fuerit, quia Gentiles Theologi ſacras hiſtorias veri Dei fabulamentis obnubilarunt, partim ne vileſcerent inuulgatæ, ſicuti de Pythagora fertur, & de noſtris etiam Theologis antiquis affert *a* D. Areopagita luculentiſſime: partim ob ignorantiam non intelligentes altiſſima myſteria, captum humanum excedentia, ſenſus ſacros corruperunt: partim decepti a cacodæmone veritatem mendacio fucarunt; & partim vt intelligerentur a multitudine, populoq. rudi, quibus ea myſteria promulgabant; ita Moſes, Dauid, & alij Prophetæ Deo penitus incorporeo, *b* vocem, *c* cor, *d* brachia, *e* manus, *f* digitos, *g* oculos, *h* aures, *i* poſteriora, *k* faciem, *l* vterum, & alia membra corporis humani tribuebant, & antiqui Gentiles, quod etiam notauit *m* Ariſtoteles. Quare mirum non eſt, beatum illum Theſpeſij cognatum, vt Ethnicos vero Deo lucrifaceret, aptauiſſe Chriſto Domino, ſummoque numini myſtice, quę Gentiles de Ioue, Baccho, Semele, Thetide, ac Orpheo dicebant ſub fabularum ſuarum inuolucris; quoniam id effici poſſe cum

a epiſt 9.
b Gen. 3.
c Gen. 6.
d Pſ. 88.
e Exod. 15.
f Exod. 8.
g Pſ. 32.
h Pſ. 5.
i Exod. 33.
k Gen. 32.
l Pſ. 109.
m 12. meta. t. 50.

Eccleſiæ fructu, paſſim admonent Sancti Patres, & Orthodoxæ Fidei Doctores; in primis etenim D. Auguſtinus ait apertiſſimis verbis: *In Philoſophi autem qui vocantur, ſi qua forte vera, & fidei noſtræ accommodata dixerunt, maxime Platonici, non ſolum formidanda non ſunt, ſed ab eis etiam tanquam iniuſtis poſſeſſoribus in vſum noſtrum vendicanda. Sicut enim Aegyptij non ſolum idola habebant, & onera grauia, quæ populus Iſrael deteſtaretur, & fugeret: ſed etiam vaſa atque ornamenta de auro & argento, & veſtem, quæ ille populus exiens de Aegypto, ſibi potius tanquam ad vſum meliorem clanculo vindicauit, non autoritate propria, ſed præcepto Dei ipſis Aegyptijs neſcienter commodantibus ea quibus non bene vtebantur: Sic doctrinæ omnes Gentilium, non ſolum ſimulata & ſuperſtitioſa figmenta, grauesque ſarcinas ſuperuacanei laboris habent, quæ vnusquiſque noſtrum duce Chriſto de ſocietate Gentilium exiens, debet abominari atque deuitare; ſed etiam liberales diſciplinas vſui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtiliſſima continent, deque ipſo Deo colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos: quod eorum tanquam aurum & argentum, quod non ipſi inſtituerunt, ſed quibuſdam quaſi metallis diuinæ prouidentiæ, quæ vbique infuſa eſt, eruerunt & quo peruerſe atque iniurioſe ad obſequia dæmonum abutuntur, quum ab eorum ſocietate miſera ſe ſe animo ſeparat, debet ab eis auferre Chriſtianus ad vſum iuſtum prædicandi Euangelij. Veſtem quoque illorum, id eſt hominum quidem inſtituta, ſed tamen accommodata humanæ ſocietati, qua in hac vita carere non poſſumus, recipere atque habere licuerit in vſum conuertenda Chriſtianum: nam quid aliud fecerunt multi boni fideles noſtri? Nonne aſpicimus quanto auro & argeno & veſte ſuffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus doctor ſuauiſſimus, & martyr beatiſſimus? Quanto Lactantius? Quanto Victorinus, Optatus, Hilarius?* Ceterum cuique notum eſt, Ethnicos au-

l.2.de doct. Chriſt.c.39

tores

tores e ſacra pagina multas hiſtorias deſumpſiſſe ſibi, varijsque fabularum inuolucris obtexiſſe, ſuis Dijs eas attribuentes: a quibus propterea Gentilibus, tanquam ab iniuſtis poſſeſſoribus impune poſſumus, immò iure debemus nos noſtra deſumere, detrahentes ex illis omnem mendacij corticem; ſicut ante nos effeciſſe plures videmus Orthodoxorum Patres. Quis non videt Homerum, vniuerſam Angelicæ naturæ præuaricantis hiſtoriam e ſacris literis hauſiſſe, ſub nomine Ate, ac Ophiugenæ? dum Agamemnona primum introducit ea dicentem: *p*

p Iliad. 19. v. 85.

Sæpe iam mihi hunc Achiui ſermonem dixerunt,
Et me obiurgarunt: ego autem non autor fui,
Sed Iupiter, & Fatum, & in tenebris agens Furia:
Qui mihi in concione mentibus iniecerunt ſæuam noxam,
Die illo, quando Achillem præmio ipſe priuabam.
Sed quid facerem? Dea omnia perficit
Veneranda Iouis filia Ate, quæ omnes offendit,
Pernicioſa: huius quidem molles pedes; non enim ad terram
Appropinquat, ſed per virorum capita incedit,
Lædens homines. itaque alterum quidem irretiuit.
Etenim iam olim Iouem læſit, quem præſtantiſſimum
Hominum & Deorum dicunt eſſe.

q ver. 25.

& mox *q* de Ioue, cui Ate malum dixerat, ſubdit:

Illico autē corripuit Aten, capite nitentibus capillis ornato,
Iratus animo ſuo, & iurauit firmum iuramentum,
Nunquam in Olympum & cælum ſtellatum
Redituram Aten, quæ omnes infortunio afficit.
Sic Fatus, eiecit a cælo ſtellato
Manu rotans: mox autem peruenit ad opera hominum.

His primum autorem mali triplicem ponit Homerus, Deum, Fatum, & cacodæmonem; porro Deus eſt autor mali culpæ, permittendo eam: Fatum, quod eſt

Di-

Diuinæ prouidentiæ decretum æternum, item eſt autor mali permittens, relinquens hominem in manu conſilij ſui, ac in propriæ voluntatis arbitrio: Furia vero in tenebris agens Dæmon eſt, e lumine gloriæ detruſus in tenebris exteriores, & habitans apud nos princeps tenebrarum harum; qui eſt autor mali ſuaſiuus. Hanc Furiam, quam Satan appellat *r* Iob, parum mutato nomine vocat Homerus Aten: quaſi Athean, ſine Deo, ſub cuius imperio lubens degere noluit rebellis. Appellat apte nomine ſequiore naturam Angelicam Deo rebellem Aten, quod maſculam virtutem amiſerit Dæmon a Deo deſciſcens, victus a Michaele bono Principe militiæ cæleſtis. At conſiderans Homerus Angelicam naturam ante lapſum vocat apte venerandam filiam Iouis, etſi poſt lapſum Ethnicus venerandam quoque cenſuerit, ne ſibi noceret, iuxta priſcorum Gentilium ſententiam, præcipientium ſacrificandum eſſe malis Dæmonibus, ne noceant: At e ſacro textu deſumit Dæmonem etiam poſt lapſum eſſe Filium Dei, quia crimen non mutauit illi naturam, qua creatus fuit a Deo, quare tum *ſ* Iob ait: *Quum veniſſent Filij Dei, vt aſſiſterent coram Domino; affuit inter eos etiam Satan*. Et Dauid introducit Deum Patrem Filio ſuo dicentem: *t In ſplendoribus Sanctorum ante Luciferum genui te*. Huic Ate tribuit Homerus, quod omnia mala culpæ perficiat, nimirum homines tentando ac ſuadendo ad malum: Atenque vere dicit pernicioſam, quæ omnes offendit; quia non ſolum ab initio primos parentes læſit ſub ſpecie ſerpentis; ſed omnem illorum poſteritatem ſemper offendit ad peccandum alliciens, ac tantumnon acribus tentationum ſtimulis impellens. Huius ait ſcite molles eſſe pedes, quia ſenſim ſuis tentationibus homines, illas non ſentientes aggreditur, malumque ſuadet veluti molle, delicatum, voluptuoſumque bo-

r cap. 1.

ſ cap. 1.

t Pſ. 109.

bonum. Dicitur etiam Ate ſuper hominum capita incedere, nec ad terram appropinquare, quia Dæmon tentator per hanc vniuerſam regionem aeris volitat, quam incolimus, nobis aſſidue proponens concupiſcentiam oculorum: ſemperque lædit homines non ſolum in anima vitijs peccatorum & angoribus illatis, verum etiam in corpore ſæpenumero varias morborum plagas inferens; vt Iobo contigit, ac eiuſdem numeroſæ proli. Dicitur etiam Ate quandoque ſummum Deum læſiſſe, quando crimine læſæ Maieſtatis Diuinæ, ſe Deo altiſſimo ſimilem & *u* æqualem fieri concupiuit, ſupremoque Deo rapere rerum omnium monarchiam. Illico autem poſt hoc peccatum Satanæ, qui prius pulcherrima creaturarum Lucifer appellabatur, nitentibus capillis donorum gratuitorum, elatus in ſuperbiam a Deo de cælo proiectus eſt in tartara, locumque caliginoſum; quam deiectionem Luciferi de cælo Deus irreuocabilem eſſe voluit; & poſt eam aggreſſus eſt hominum creationem. Quæ cuncta luculenter agnouit Homerus e ſacro codice; Quin & præter Homerum ſuam Palladem, Amorem, ac Dionyſium Ethnici referebant ad Perſonas Diuinas, quas obſcure ſub vmbris antiqui teſtamenti cognoſcebant; e quorum dictis ad noſtræ Fidei Veritatem, detracto velo fabularum eas ita colligit *x* Bongus agens de myſtica numerorum ſignificatione: *Nec aliam ob cauſam Deus dicitur Iuſtitia, niſi quod linea recta infinita primo circulum, deinde triangulum faciens, ex tryade venit in tetractyn. Vnde ſi trigonum eſt perfecte, eſt neceſſario quadratum, & hinc Octonarius ex Pallade & Amore, id eſt ex Verbo & Spiritu genitus, diuina quadam ratione conſurgit: primo quidem in Vnum, duo, quinque diuiſus: deinde in quindecim multiplicatus, ac nihilo diminutus, ſed auctus in quaternarium a ſeipſo circulum facit primum, qui figura ſolius Dei eſt. Hinc*

u Iſai. 14.

x de fig. Num. octo

Or-

Orpheus quotieſcunque diuinam volebat obteſtari Iuſtitiam, per Numina octo iurabat, quæ rerum ſummæ imperare dicebat Euander. & mox: *Hunc numerum Dionyſio ſacrum fuiſſe perhibent priſci Theologi.* Præterea quum y Moſes Mundi geneſim deſcribens, trium meminerit ſpeciatim, Cæli, Terræ, ac Spiritus Domini, dicens: *In principio creauit Deus cælum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Dixitque Deus: Fiat lux: & facta eſt lux: & vidit Deus lucem quod eſſet bona: & diuiſit lucem a tenebris: Appellauitque lucem diem, & tenebras noctem. Factumque eſt veſpere & mane dies vnus. Dixit quoque Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum: diuiſitque aquas, quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum: Et factum eſt ita. Vocauitque Deus firmamentum cælum*, &c. Quæ omnia fere parum mutata tranſtulit Heſiodus z in ſuam Theogoniam, dicens: y Gen. 1. z v. 116.

Primo omnium quidem Chaos fuit: ac deinde (ſemper
Tellus lato pectore prædita (omnium fundamentum ſolidum
Immortalium, qui tenent iuga niuoſi Olympi,
Tartaraque tenebricoſa in receſſu terræ ſpatioſæ)
Atque Amor, qui pulcherrimus inter immortales Deos.
Soluens curas & omnium Deorum & omnium hominum
Domat in pectoribus animum, & prudens conſilium.
Ex Chao vero Erebusque, nigraque Nox editi ſunt:
Nocte porro tam Aether, quam Dies prognati ſunt.
Quos peperit, vbi concepiſſet Erebo amore miſta.

Et reliqua de quibus hanc a Ariſtoteles veritatem probans elicit ſummam: *Poſt hos autem, & huiuſmodi principia tanquam non ſufficientia, vt entium naturam generarent, rurſus ab ipſa veritate (vt diximus) coacti, illud, quod ſequitur, quæſiuerunt principium: vt enim entium bene ſe partim* a 1. metaſu. 2. c. 2.

habeant, partim fiant, nec ignem fortaſſe, nec terram, nec aliud huiuſcemodi quicquam veriſimile eſt cauſam eſſe: nec illos veriſimile eſt arbitrari: nec rurſus caſui, & fortunæ tantam attribuere rem probe ſe habet. Quare qui, vt animalibus, ita in natura intellectum ineſſe cauſam mundi, totiusque ordinis dixerat, quaſi ſobrius comparatus ad Antiquiores vana dicentes, apparuit. Iſtas autem rationes, qui palam attigit, Anaxagoram fuiſſe ſcimus, attamen Hermotimus Clazomenius dicitur cauſam prius dixiſſe. Qui igitur ita arbitrati ſunt, principium entium poſuerunt ſimul tam cauſam ipſam bene, quam illam vnde motus entibus ineſt. (nempe cum Moſe Diuinum intellectum, qui cauſa Mundi efficiens eſt, formalis, & finalis, in qua conſiſtit ratio boni, quæ formalitas eſt Spiritus Domini, quo ſex primis diebus Deus *b* creauit cælum & terram, & omnia quæ in eis

b Gen. 1. & 2. ſunt; perfecitque cælum & terram, & omnem ornatum eorum; compleuitque die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat; & requieuit die ſeptimo ab omni opere, quod patrarat) *ſuſpicaretur autem aliquis* c *Heſiodum primum hoc quæſiuiſſe, & ſi quis alius Amorem, aut Deſiderium in entibus vt principium poſuit. Sicuti Parmenides: etenim is Vniuerſi generationem monſtrando,*

c Theog. init.

„ Primũ quidẽ inter omnes Deos Amorẽ, ait, produxit.
„ Heſiodus vero ante omnia fuiſſe Chaos,
„ Deinde Terram ſpatioſam, atque Amorem,
„ Qui inter omnes immortales elucet.

Tanquam oportunum ſit vt in entibus aliqua cauſa inſit, quæ res ipſas moueat atque coniungat. Hæc illi prorſus e dictis

d Gen. 1. Moſis acceperunt; ait enim Moſes *d In principio creauit Deus cælum & terram:* ait Heſiodus: *Primo omnium Chaos fuit, deinde Tellus.* Chaos autem apud antiquos Grammaticos cælum ſignabat, quaſi Cauum, & Couum, & Colum, quod intra ſui cauitatem omnia contineret.

 Mo-

Moſes ait, *Terra autem erat inanis & vacua:* Dicit Heſiodus: *Tellus lato pectore prædita:* Moſes addit: *& tenebræ erant ſuper faciem abyſſi:* canit Heſiodus: *Tartaraque tenebroſa in receſſu Terra ſpatioſa.* Moſes addit: *Et Spiritus Dominì ferebatur ſuper aquas.* Ait Heſiodus: *Atque Amor qui pulcherrimus inter omnes Deos;* nam Spiritus Sanctus eſſentialiter eſt Amor mutuus inter Diuinas Perſonas Patris & Filij, quibus tribus perſonis omnis ac tota diuinitas continetur; Quin & Spiritus Sanctus a Salomone dicitur in Eccleſiaſtico *e* pulchra dilectio, dum introducit Diuinam Sapientiam de ſe dicentem: *Ego mater pulchræ dilectionis:* indicat Spiritum Sanctum a Diuina Sapientia procedere, nimirum a Patre ac Filio ſe ſe mutuo amantibus, nam Pater intellectu ſuo fecundo ſemetipſum intelligens producit Verbum, ſeu Filium, qui eſt Diuina Sapientia; quæ cum intellectu diuino ſe producente conſpirans producit Spiritum Sanctum, vnde dicitur mater pulchræ dilectionis, ſiue diuini Amoris, qui pulcherrimus elucet medius inter duas alias diuinas perſonas a quibus conſpirantibus producitur. Addit Heſiodus de Amore Diuino: *Soluens curas & omnium Deorum, & omnium hominum.* Et in Eccleſia Spiritus Sanctus attributum habet conſolatoris; nam in Threnis *f* Hieremias introducit afflictum Hebræorum populum tanquam deſertum a conſolatore Spiritu Sancto Dei, prauitates eorum punientis, inquiens: *Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas, quia longe factus eſt a me conſolator conuertens animam meam: facti ſunt filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus.* Vbi *conſolator* ab Interlineari vertitur *Paracletus,* qui eſt Spiritus Sanctus; & ordinaria Gloſſa dicit ad eum locum; *Longe factus eſt conſolator: Quoties Eccleſia tribulationibus afficitur, quoties deſolatur auxilio Dei, ad lacrymas, quaſi ad aſſueta arma re-*

e C. 24.

f Thren. 1.

currit: dum autem doctore exterius monente non adeſt Paracletus, qui eum inſtruat, & erudiat interius; propterea fiunt filij eius perditi, & inualeſcit inimicus. Quiſquis ergo doctorum Eccleſiam ſibi commiſſam minus conuerti viderit, de fonte Amoris hauriat, vnde lacrymas producat, donec conſolatorem, & conuertentem Paracletum reducat; alioquin inualeſcente inimico, fiunt filij eius perditi, qui ſcilicet nondum ablactati, nondum in virum perfectum ſunt producti. Sed quæ ſtatim addit Heſiodus de Amore, *Domat in pectoribus animum, & prudens conſilium*; etſi male tribuat Amori Diuino, quæ propria ſunt Amoris Venerei profani; qui viros tum fortes eneruat, tum ſapientes infatuat; ea tamen hauſit Heſiodus e ſacra pagina, vbi legit fortiſſimum virum
g Iudic.16. Dei *g* Sampſona domitum fuiſſe amore Dalidæ; ſapien-
h 3.Reg.11 tiſſimumque mortalium *h* Salomonem infatuatum fuiſſe amore concubinarum. Cetera Moſaica fabulis Ethnicorum inuoluit Heſiodus, dum ait ex Chao natum Erebum ac Noctem fuiſſe; quæ pepererit ex Erebo Aethera, & Dies: dicente Moſe præceſſiſſe tenebras noctis lumini Diei; lumenque a cæli ſideribus in terram promanaſſe; terramque vmbra ſua noctem efficere. Sic ergo Gentiles plurima deſumunt e ſacris operibus, & fabulamentis inuoluunt; quæ nobis ex eorum fabulis eruenda ſunt. Quod alibi fuſe præſtitimus explicantes Idyllium Simmiæ Rhodij ad Alas Amoris Diuini compactum, quod integra quadam Encyclopædia complexi fuimus. Quumque legiſſent Ethnici priſci Dæmonem in ſacris li-
i Gen.2. teris nomine formaque *i* ſerpentis appellatum, primo quidem affectaſſe conſcendere ſuper aſtra cæli, ſedem-
k Iſai.14. que ponere ad *k* Aquilonem, & fieri ſimilem Altiſſimo Deo; qui præcipitarit illum de cælo in barathrum, vna cum Angelis malis illi conſentientibus in crimine; confinxerunt Gigantas, qui ſub Ophiugena principe bellum
cæ-

cæleſtibus, ac ſummo Ioui pridem intulerint; a quo fulminati de cælo proiecti fuerint in tartara ſub terræ profundo; qua de re fabulam texuit *l* Ouidius, vt alij veteres, obſeruatu *m* Natalis: Gigantes *iſti dicantur non ſolum corporis magnitudine præcelluiſſe, viribusque inuictis fuiſſe, ſed etiam terribili plane aſpectu, capillis e capite promiſſis, barba prolixa, pedibusque anguineis, vt ait Ouidius lib. 5. de Faſtis:* *l* 3. Faſt. *m* 6. myth. c. 21.

Terra feros partus immania monſtra Gigantum
Edidit, auſuros in Iouis ire domum.
Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues:
Atque ait, in magnos arma mouete Deos.
Extruere in montes ad ſidera ſumma parabant,
Et magnum bello ſollicitare Iouem.
Fulmina de cæli iaculatus Iupiter arce
Vertit in autores pondera vaſta ſuos.

Sed & Cælius *n* Rhodiginus in ſuis antiquis Lectionibus ex Empedocle, Pythagora, Pherecyde, ceterisque vetuſtioribus Ethnicis ea refert de natura Dæmonum, quæ plane deſumpſerant illi de ſacra pagina, dicens: *Nos in literis interim antiquioribus ab Pherecyde traditum obſeruauimus, Dæmonas olim e cælo lapſos, quod noſtra continet doctrina: Ophioneumque nuncupatum, hoc eſt, Dæmonem ſerpentem, qui anteſignanus fuerit agminis ab diuinæ mentis placito deficientis. In myſterijs exploratum illud quoque, Iouem quandoque Dæmones inferiores ad inferna deturbaſſe. Adde, quod & Pythagorica doctrina hoc ipſum fere apertius referre animaduertitur, dum fractis alis animam labi e cælo fingunt; inque nouem diſtribuunt gradus, tanquam nouenarium Angelorum chorum. Quin & in ſermone, qui eſt de Fœnore Plutarchus, Empedoclem eiuſmodi Dæmonum lapſum nouiſſe ſignificat, vbi ait: Semel fænore illaqueatum euadere non poſſe, verum oberrare, perinde ac Dæmones a Deo fugati, eque cælo dati in præceps apud Empedoclem. Quos* *n* l. 2. c. 7.

etiam

,, *etiam ad maris ima deturbarat, illo ad terram reiectante, hac-*
,, *que rurſus extimulante in altum, qui illinc mox alio contru-*
,, *derentur. Verum & illud ſingulari dignum admiratione,*
poetarum principem Homerum, Beſſarionis calculo, dignitate
Cardinalis, doctrina vero & claſſici, & eminentiſſimi: Ates,
,, *id eſt ἄτης, nomine, quam interpretamur noxam vel detri-*
,, *mentum, Luciferi de cælo lapſum, vel natura eminentioris*
,, *ſublimitate, vel quod Moſaica introſpexiſſet modo aliquo ſa-*
,, *craria, neſcientibus præmonſtraſſe; quum Iliados vndenice-*
,, *ſimo, ita canit de ipſa hac Ate:*

ὥς εἰπων, ἔρ᾽ριψεν ἀπ᾽ ὐρανῦ ἀςερόεντος
χειρὶ περιςρέψας, τάχα δ᾽ ἵκετ᾽ ἔργ᾽ ἀνθρώπως. hoc eſt,
,, *Sic fatus, eiecit a cælo ſtellato*
,, *Manu rotans; mox autem peruenit ad opera hominum.*

Quæ late ſuperius explicaui: nec his alia plura congerenda ſunt, ad te præſertim ſcribenti mihi, quem noui virum omni vetuſtiorum eruditione cumulatiſſimum. Licet igitur nobis ex Gentilium dictis aſſerere quæcumque pulchra veniunt in vſum dogmatum orthodoxorum; ac eo magis, quia quicquid pulchri Gentiles habent, id omne ſumpſerunt e ſacris literis, quarum ſenſum occu-
o Parænes. luerunt apologorum velamine, ſicuti notauit *o* D. Iuſti-
p 2 de prin- nus, *p* Theodoretus, *q* Clemens Alexandrinus; ete-
cip. q 1. ſtrom. nim quum diu vixiſſet in Aegypto populus Dei, Diuina
l. 3. Myſteria docuerunt Aeyptios, quam doctrinam hi ſub ſimbolis ac hieroglyphicis ob reuerentiam contexerunt, ne profanaretur in vulgus. Ad Aegyptios, & Chaldæos poſtea Græci, ceterique Gentiles tum Philoſophi, tum Poetæ perrexerunt, eam ſapientiam ſibi comparaturi; quod vel ex oraculo Delphico demonſtrat S. Iuſtinus aſſerens Athenienſibus eiuſcemodi reſponſum exhibitum e tripode, ſciſcitantibus, vnde veram ſapientiam, & religionem addiſcere poſſent:

Mū-

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίην λάχον, ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι,
Αὐτογενέθλον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς.

.i. *Soli Chaldæi ſapientiam ſortiti ſunt, atque Hebræi,*
A-ſegenitum regem colentes Deum ſancte.

& Auguſto ſacrificaturo Delphis Apollo tale reddidit oraculum:

Παῖς Ἑβραῖος κέλεταί με, θεοῖς μακάρεσσιν ἀνάσσων,
Τόνδε δόμον προλιπεῖν, καὶ ἀίδην αὖθις ἱκέσθαι.
Λοιπὸν ἀπιθὶ σιγῶν ἐκ βωμῶν ἡμετέρων.

.i. *Puer Hebræus iubet me, Dijs beatis imperans,*
Hanc ædem relinquere, & in Orcum redire,
Iam abito tacitus ab Aris noſtris.

Denique vero, ne plura congeram, D. Paulus, vt Chriſto Domino lucraretur Athenienſes Ethnicos, illorum ſuperſtitione decenter vſus, non ſolum Aram, quam olim conſilio Cretenſis Epimenidis erexerant IGNOTO DEO, cuius ope ſe peſtilentia liberatos exiſtimabant, ad verum Deum Chriſtianorum tranſtulit; ſed etiam verſus Arati poetæ, de Ioue Gentilium Deo pronunciatos ab autore, myſtice de vero Deo noſtro luculenter explicauit: verſus autem, quibus Apoſtolus ait, quoſdam poetas Athenienſium dixiſſe, Nos homines in ipſo Deo viuere, moueri, & eſſe, tanquam illius genus, ab Arato de Ioue proferuntur, initio ſuorum Phænomenon, eius verbis ita Latine verſis e Græco:

A Ioue principium, quem nunquam mittimus ipſi
Infatum, plena vero Iouis omnia quidem compita:
Omnes vero hominum cætus: plenum vero mare,
Et portus. Vbique autem Ioue indigemus omnes:
Huius etenim genus ſumus, Hic vero beneuolus hominibus
Commoda ſignificat: populos autem ad opus excitat,
Commonens victus: prædicat item quando gleba optima
Bobúsque, & hominibus: prædicat inquam quando ſecunda
tempora

Et

Et plantas ſcrobibus infodere, & ſemina qualibet iacere.
Ipſe enim ſigna in cælo firmauit,
Sidera diſpertitus: prouidit vero ad annum
Stellas, quæ potiſſimum faciunda indicarent
Hominibus temporum, quo ſtata cuncta naſcerentur;
Eoque ipſum ſemper primumque & vltimum placant:
Salue Pater, magna hominibus admiratio, magna hominibus vtilitas;
Ipſe & prior generatio. Saluete vero Muſæ &c.

r Geneſ.1. Quam ſententiam vt Aratus deſumpſit a r Moſe, ſcribente Deum feciſſe hominem primum, a quo nos omnes genus ducimus; dediſſeque homini dominium & vſum aliarum rerum omnium; feciſſeque Solem, Lunam, & ſtellas, vt eſſent ſigna temporum; ita verſus Arati de Ioue prolatos apte D. Paulus tranſtulit ad verum Deum, vt Chriſto Domino lucrifaceret Athenienſes Ethnicos; ſ cap.17. quod in Actis Apoſtolorum legitur hiſce: ſ *Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait, Viri Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video: Præteriens enim, & videns ſimulachra veſtra, inueni & Aram, in qua ſcriptum erat, IGNOTO DEO: Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis: Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ in ea ſunt, hic cæli & terræ quum ſit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo: quum ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia; fecitque ex vno omne genus hominum inhabitare ſuper vniuerſam faciem terræ, definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum, ſi forte attrectent eum: quamuis non longe ſit ab vnoquoque noſtrum. In ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus; ſicut & quidam veſtrorum poetarum dixerunt: Ipſius enim & genus ſumus. Genus ergo quum ſimus Dei, non debemus æſtimare auro, aut argento, aut lapidi ſculpturæ artis & cogitationis hominis di-*

ui-

ninum eſſe ſimile. Et tempora quidem huius ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant, eo quod ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate in viro, in quo ſtatuit fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum a mortuis. Occaſionem vero condendi Aram Ignoto Deo pridem habuerunt Athenienſes, vt ait Laertius in Epimenide: *t Porro illius fama per Græciam volante, Deo eſſe chariſſimus exiſtimatus eſt. Vnde & Athenienſes quum aliquando peſte laborarent, reſponſo a Pythia accepto, vrbem expiari oportere, Niciam Nicerati filium naui miſere, Epimenidemque ex Creta aduocarunt. Profectus autem Olympiade* XXVII. *luſtrauit vrbem, peſtemque compeſcuit, hoc modo: Sumpſit oues nigro & candido vellere, duxitque in Arium pagum, atque inde quo vellent abire permiſit, his qui illas ſequebantur mandans, vbicumque illæ accubuiſſent, ſingulas mactarent peculiari cuipiam Deo: atque in hunc modum quieuit lues. Ex eo iam hodieque per Athenienſium pagos, aras ſine nomine inueniri certum eſt, in eius quæ tunc facta eſt expiationis memoriam*. De propoſito quoque *u* Rhodiginus, ex Philoſtrato, Pauſaniaque ſcribit: *Nam ignotis etiam Dijs fuiſſe Athenis erectas aras, Philoſtratus ſcribit: meminit Laertius quoque in Epimenide: vt de Pauſania taceam, ἐλλάδος περιηγήσει ad Phalerum θεῶν ἀγνώστων βωμοὺς ſtatuente*. Verba *x* Pauſaniæ ſunt: *Ac de maxima quidem ara, quæ dici opus fuit, paulo ſuperius a me dicta ſunt. Vocatur ea ſane Iouis Olympij. Adiacet ei ignotorum Deorum ara*. Addit Cælius: *In canonicis vero decretis adnotatum ab Interprete eſt, Apoſtolum Paulum quum huiuſmodi aram vidiſſet, titulo notiſſimo, Ignoti videlicet Dei, in quo viuimus, mouemur, ſumus: altius intonuiſſe, Quem vos ignotum dicitis, ego prædico*. Quin & adijciendum eſt, D. Auguſtinum Apollinis nomen & numen vero Deo Chriſtianorum applicare, perſpicuis ver-

t lib. 1.

u l. 22. ant. lect. c. 2.

x Eliac. pri.

y 1.de orcin.c.4. bis : *y Hic ergo multo vberius cernens abundare lætitias meas, quam vel optare aliquando auſus ſum, verſum illum geſtiens effudi :*

„ Sic pater ille Deûm faciat, ſic altus Apollo.

Incipias : perducet enim, quo nos ire iubet, atque vbi ponere ſedem; qui dat modo augurium, noſtrisque illabitur animis. Nec enim altus Apollo eſt, qui in ſpeluncis, in montibus in nemoribus nidore thuris, pecudumque calamitate concitatus implet inſanos; ſed alius profecto eſt, alius ille altus veriditus, atque ipſa (quid enim verbis ambiam?) veritas. cuius vates ſunt quicumque poſſunt eſſe ſapientes. Nimirum hic
z Ioan.8. Apollo Chriſtus eſt, qui de ſe dicit, *z Ego ſum lux mun-*
a cap.1. *di :* qui dicitur a Ioanne, *a Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum :* & a D. Auguſtino
b in pſ.103. 142.148. *b* Sol paſſim Chriſtus appellatur myſtice. Quum autem apud Antiquos idem numen ſit Apollo, & Bacchus, vt
c 1.Satur. c.18. late demonſtrat *c* Macrobius, ſed & *d* Euſebius, Or-
d 3.de præpar. Euãg. c 4. pheus, Euripides, Ariſtoteles, Virgilius, & ex his omnibus e Valerianus. Hoc idem teſtatur* Arnobius. Qua
e l.14.hierogl. ergo ratione D. Paulus, poſteaquam raptos ad tertium cælum, in Paradiſo audiuit, præter arcana verba, quæ
* li.3.adu. gent. non licet homini loqui, pariter omnia myſteria Fidei, quam Gentibus inuulgare iuſſus eſt, annunciat Athenienſibus Ethnicis iudicij diem, & pœnitentiam, vtens illorum ſuperſtitionibus ad bonum ſenſum myſticum redactis : eodem modo Theſpeſij ductor ille beatus in cælo refert annuncianda Gentilibus item per Theſpeſium, mox rediuiuum, vtens prophanis Bacchi, Semeles, Apollinis, Themidis, & alijs Ethnicorum ſuperſtitionibus, itidem myſtice redactis ad bonum ſenſum, vt infideles populares eius veram Fidem edoceat, ſuauiterque nuncians illis tum præmia cæleſtia penitus immenſa, tum pœnas purgatorij ſæuas, & inferni ſæuiſſimas, tremendam-

Digitized by Google

damque diem vltimi Iudicij, reuocet illos a ſceleribus ad virtutes, a Dæmonum cultu nefario ad orthodoxam religionem. Ac ſane poeticum illud, quo Theſpeſij cognatus vtitur inquiens *Bacchum in Deos abijſſe, Semelemque poſtea eodem adduxiſſe*, nobis accipiendum eſt ea declaratione, qua myſtice ſumunt SS. Patres præceptum Dei de muliere captiua: *f Si egreſſus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captiuosque duxeris, & videris in numero captiuarum mulierem pulchram, & adamaueris eam, volucrisque habere vxorem, introduces eam in domum tuam. Quæ radet cæſariem, & circumcidet vngues, & deponet veſtem, in qua capta eſt: ſedensq. in domo tua flebit patrem & matrem ſuam vno menſe, & poſtea intrabis ad eam, dormiesque cum illa, & erit vxor tua.* Quem locum Ordinaria Gloſſa ſic explicat: *Alij putant hanc ſignificare rationabilem diſciplinam apud Gentiles inuentam; ab ea enim oportet recidi omnem ſuperſtitionis immunditiam, vt ad ſtudium veritatis aſſumatur. Nihil enim mundum habent diſciplinæ Gentilium; quia nulla apud eos diſciplina eſt, cui non ſit aliquid immunditiæ, vel ſuperſtitionis admiſtum:* vno menſe: *id eſt triginta diebus, vt poſt fidem Trinitatis & opus legis, mereatur Eccleſiæ ſociari; ter enim decem triginta efficiunt.* Et poſtea: *quum nec in capite, ideſt ſenſibus; nec in manibus, ideſt operibus, aliquid ſuperfluum, aut immundum erit.* Sed ad noſtrum propoſitum Interlinearis ita mirifice: Si egreſſus fueris ad pugnam *ſpiritualem* contra inimicos tuos *Dæmones, vel Gentiles*, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captiuosque duxeris *ad iugum Chriſti: vnde in captiuitatem g redigentes omnem intellectum.* Et videris *ſuperata falſitate*, in numero captiuarum mulierem pulchram, *in Gentili conuerſatione vtilem ſententiam;* & adamaueris eam *vera charitate:* volueriſque eam habere vxorem, *corpori*

f Deut. 21.

g 2. Cor. 10.

,, *Eccleſiæ ſociare in adiutorium Chriſti:* introduces eam in
,, domum tuam, *in Eccleſiam, curam & pænitentiam.* Quæ
,, radet cæſariem *nouacula verbi Dei; ſuperfluas cogitationes, &*
,, *ſuperflua, vt poetarum figmenta:* & circumcidet vngues;
,, *quicquid motuum in operibus, omne peccatum infidelium,*
,, *quod emortuum eſt, & ſuperfluum eſt, crudelitatem, vel ra-*
,, *pacitatem.* Et deponet veſtem, in qua capta eſt: *priſti-*
,, *num errorem damnabilem & fletu dignum demonſtrabit.* Se-
,, densque *humiliata* in domo tua flebit patrem, *diabolum,*
,, *qui eſt pater imitationis, non natura,* & matrem, *omnem me-*
,, *moriam mundanam, & carnales illecebras, & humanam cu-*
,, *rioſitatem,* vno menſe; & poſtea intrabis ad eam, dormies-
,, que cum illa, *vt ſpiritualem prolem gignas,* & erit vxor tua, *in ſocietatem recepta.* Cornelius a Lapide pariter hunc locum tropologice declarans ait, *Chriſtianis doctoribus licet Gentilem ducere, id eſt ea, quæ apud Gentiles, vel hæreticos docta, vel elegantia inueniunt, ſibi aſciſcere; dummodo tamen ea quæ noxia & ſuperflua ſunt, reſecent: ita S. Hieronymus epiſt. ad Magnum, Rupertus, & Rhabanus* &c.

h Epiſt. ad Magnum.

Verba D. Hieronymi ſunt: *h Legerat in Deuteronomio Domini voce præceptum, mulieris captiuæ radendum caput, ſupercilia, omnes pilos & vngues corporis amputandos, & ſic eam habendam in coniugio. Quid ergo mirum, ſi & ego ſapientiam ſecularem propter eloquij venuſtatem, & membrorum pulchritudinem, de ancilla atque captiua Iſraeliticam facere cupio? &, ſi quicquid in ea mortuum eſt idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinis, vel præcido, vel rado; & miſtos puriſſimo corpori vernaculos ex ea genero Domino Sabaoth? Labor meus in familiam Chriſti, proficit.* Monitus itaque munitusque præceptis, iuxta normam a Sanctis Patribus, orthodoxisque Doctoribus mihi præſcriptam, detracto ſuperſtitionis, & Gentilitatis errore quolibet, effatum Theſpeſio dictum de Baccho in Deos abeunte, deque

Se-

Semele Bacchi matre poſtea ſimiliter ad Deos adducta, poſſumus Eccleſiæ Catholicæ noſtræ ſociare, iuxtaque ſenſum orthodoxæ Fidei myſtice declarare; nempe Plutarchus item Bacchum Deum Hebræorum facit, & ad verum illorum numen, ſummique Dei cultum antiquum Bacchi myſteria refert ipſe profanus, aiens, *i* (quod etiam obſeruauit Rhodiginus) *k Maximæ & perfectiſſima Iudaorum ſolennitatis & tempus & modus cum Bacchi ſacris congruit: Quod enim ipſi vocant Ieiunium, id ſic celebrant, vt maxime feruente vindemia proponant menſas, in quibus expoſite ſint omnis generis fruges, & ſub tabernaculis deſidentes, potiſſimum e palmitibus & hedera quæ contexuntur: & diem, quæ faſtum antecedit, Tabernaculariam nominant. Paucis vero poſt diebus aliam feſtiuitatem non obſcure, ſed omnino aperte Baccho nuncupatam celebrant. Eſt etiam ſolenne apud eos feſtum Cradephoria a palmitibus geſtandis, & thyrſophoria, vbi thyrſos geſtantes, in templum intrant: quid intus faciant, ignoro: credibile eſt Bacchi ab ijs ſacra peragi; nam & tubis exiguis, ſicut Argiui Bacchanalibus, vtuntur ad euocationem numinis: & alij progrediuntur citharis ludentes, quos ipſi Leuitas appellant; ſiue a Lyſio, ſiue ab Euio (vtraque vox Baccho congruit) ita dictos. Opinor etiam Sabbatorum ferias non plane a Baccho eſſe alienas. Quod enim Sabbos etiamnum multi Bacchos appellent, eamque edant vocem dum orgia Bacchi celebrant, * licet e Demoſthene oſtendere, & e Menandro, & non de * aliquis forte dixerit, factum eſſe ob aſebeſin; id eſt impietatem, qua tenentur Bacchantes. Ipſi autem huic ſermoni teſtimonium dicunt; Sabbatum enim colentes, maxime ad bibendum, & ebrietatem inuicem ſe ſe inuitant: aut ſi qua grauior res obſtet, omnino quidem guſtare merum in more habent. Has fortaſſe aliquis eſſe coniecturas aſſerat. Sed alia ſunt argumenta, quæ plane noſtram demonſtrent ſententiam. Primum enim arguit* hoc

i 4. ſymp. qu. 5. f.
k l. 7. c. 15.

hoc Pontifex maximus, qui feſtis diebus mitratus ingreditur, hinnuli pellem auro contextam indutus, tunicamque ad talos pertinentem geſtans, & cosburnos: multa autem tintinabula dependent de veſte, quæ inter ambulandum ſtrepitum edant, vt & apud nos. Sonitibus autem nunc vtuntur in ſacrificijs, & aratas Dei nutrices appellant: monſtranturque in aduerſis
k. *ſublimi thyrſus expreſſus, & tympana; quæ ſane non alij Deo, quam Baccho conueniunt. Porro autem mel ſacrificijs non adhibent, quod eius admiſtione vinum corrumpi videatur; eoque libabatur, & ebrietas parabatur, antequam vitis extitiſſe*. & mox: *Bacchus vero Iudæis coli, id quoque argumento non leui eſt, quod inter multas pœnarum formas vna maxime odioſa eſt, qua vino interdicitur damnatis ad certum tempus, quod a iudice præſcribitur; qui autem ſic puni*- deſunt reliqua huius libri. Ex allatis autem conſtat, Ethnicos antiquiores, veri Dei cultum Hebraicum, a Moſe præſcriptum Iudæis, occultaſſe, tantumque non tribuiſſe Baccho, ſub nomine Bacchi Deum venerantes. Ceterum id ipſum ex Platone, D. Chryſoſtomo colligere videtur paulo antea Rhodiginus: nam explicans illa ver-
l Phædon. ba Platonis: *l Et videntur etiam hi, qui ſacrorum myſteria nobis conſtituerunt, non viles quidam eſſe, ſed reuera dudum obſcure inſinuare, quod quisquis non initiatus, ac ſacris addictus ad inferos peruenerit, in cœno iacebit. Purificatus autem ac initiatus vbi eo deuenerit, cum dijs habitabit. Sunt enim, veluti ſacrorum myſtæ dicunt. Multi qui ferulas ge-*
m l.7.c.13. *ſtant, pauci vero Bacchi. Hi vero ſunt, vt mea fert opinio,*
n Ficin. in Timæ.c.24 *non alij quam qui recte philoſophati ſunt*; ait Cælius: m *Qui*
o Teſtamẽtum. *Socratica inſtituta Chriſtianæ integritatis eſſe idolum quod-*
p SS. Patres orthodoxi. *dam & imaginem, aut ſalem vmbram, ſcriptis prodidere*; n *at-*
que o *Inſtrumentum vetus Platonica confirmari theologia: ex qua, veluti ex equo Troiano, innumera prodierint doctri-*
q Teſtamẽtum. *næ* p *lumina: nouum vero,* q *& Socratis moribus, & ſapientia:*

tia: hi profecto (abſit inuidia verbo) vel ſoli, vel cum paucis admodum, rerum altitudinem, quam illorum hominum ingenijs arcana ratione artifex Deus inſeruit, concepiſſe videntur. Nam vt de alijs nunc diſcuſſio non fiat, nec examen acrius: quale obſecro illud eſt, quod ab Socrate in Platonis lib. de Anima, r diſſeritur? Nam quum inculpati philoſophi meditationem in eo verſari docuiſſet, vt animam ſeiungat diuellatque à corpore, quoniam vere ingenue philoſophantem ita prorſum ſentire neceſſarium eſt, ſe non alibi purius ſapientiam comparaturum, quam in futura poſt mortem vita, addidiſſetque virtutem veram in purificatione conſiſtere, quæ fortitudine, iuſtitia, temperantia, & ſapientia demum contingat: mox infert, Quamobrem qui myſteria ſanxere, haudquaquam negligendi ſunt; nam arcana quadam ratione impenſe nos videntur admonere, quiſquis inferos petat, non ita expurgatus & initiatus, in cœno eum volutari: quæ maxima turba eſt: at qui ſecus, cum dijs agere. Propterea inquiunt: Narthecophori quidem multi, Bacchi vero perpauci omnino. Sunt vero hi non alij, quam recte philoſophiæ myſterijs imbuti. Quid his paucis verbis ſanctius? quid Chriſtianæ veritati magis conſentaneum? Religionem, inquit, ſanctitatemque prætendunt quidem plures, ſed quotusquiſque culpationibus reclinatis, quas vita deprecatur caſtitas, ſcopum pertingit, aut induit perfectionem? paſſim quoque vocantur omnes, electorum tamen mira ſ paucitas: nemine non diſcum t potius audiente, quam vere philoſophantem: nam & Chryſoſtomus: Multi, inquit, ſacerdotes, & pauci ſacerdotes: multi nomine, pauci re. Non omnis ſacerdos ſanctus, ſed omnis ſanctus eſt ſacerdos. Non veſtis tenera, vti eſt apud Hieronymum, clericum facit, aut ſacerdotem, ſed caſta mentis intentio, humanæ proprietatis retinentiſſima, quæque peccatorum proluuium prætextu nullo exemptum purgatumque eat. Sed curnam Bacchus pro germano philoſopho, aut viro ad vnguem facto,

r Phædon.

ſ Matth. 20

t Cic. de orat.

vt poetæ verbis vtar? Bacchum Platonici putant quandoque principem ac ſummum quendam ſacerdotem. Hunc bis natum ab Mythicis confingi tradunt, qui ſignificent futurum ſacerdotem, ſtatim initiatum renaſci oportere: vel ſacerdotis perfecti mentem Deo penitus ebriam videri iam renatam. Hoc ne quis miretur, ſcimus ab Muſæo tradi, mirum iuſtitiæ præmium perpetuam videri ebrietatem. Quod ipſum antea per Dionyſij ſacra Orpheus inter veteres theologos perilluſtris ſignificauerat. Cui propheticum illud non diſſentaneum eſt,
u pſal.35. u *Inebriabor ab vbertate domus tuæ.* & mox: *Ex ijs opinor, liquet acrius intuenti, quod ita Bacchi nomine ſummatem ſacerdotem, aut Deo inhærentem virum, latices nectareos haurientem Platonicorum ſecretior doctrina intelligendum dederit.* & adhuc infra: *Bacchum præterea legimus σωτῆρα nuncupatum Græcis, quod eos in Myſia, Thelepho graſſante, ſeruarit, obiecta forte illi vite, quæ res ab dolo id genus dicta Sphaltes eſt. Soteris Bacchi commeminit Plinius, ſed ratione alia.* Hæc ille: quæ ſingula mirifice Chriſto conueniunt, non Græcorum tantum, neque ſolum Aegyptiorum, vt
x Gen.41. pſal.80. x Ioſephus, Chriſti propria figura. Sed vere mortalium omnium eius fidem vere colentium in vniuerſa terra Saluatori, qui ſe vitem obiecit putandam in acerbiſſima paſ-
y pſ.109. Hebr.7. z Ioan.4. ſione pro ſalute cunctorum: ſummo ac æterno ſacerdoti, & homini viroque per vnionem hypoſtaticam Deo adhærenti, cunctiſque fidelibus latices nectareos beatitudinis haurienti. Quæ myſteria beatus ille cognatus Theſpeſio ſuo velata myſtico ſenſu Bacchi communicare voluit, vt Ethnicis Platonicæ doctrinæ aſſuetis indicata, ceu familiaria, facilius intelligerentur, & reciperentur ad ſalutem. Bacchus item, cognominatus a Phyſicis,
a 1.Satur. b ſyn. 8. c Matt. 13. Marc. 4. Rom. 11. vt ait ex *a* Macrobio *b* Gyraldus, *Dionyſius*, quaſi Διὸς νοῦς, hoc eſt Iouis mens, Deive ſapientia, repræſentat myſtice Chriſtum, qui paſſim audit in *c* Eccleſia, Dei

Ver-

Verbum & Sapientia Patris. *Lenæus quoque Bacchus*, obſeruatu Gyraldi, *quod vinum ex racemis in torculari exprimere docuerit*: & ſacra pagina Chriſtum inducit calcantem torcular; ita Iſaias, *d Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum*: ita Ieremias, *e Torcular calcauit Dominus Virgini filiæ Iuda*. Præterea Bacchus paſſim audit *f* Sabbadius, & Sabbazius apud Ethnicos, detorquentes veri Dei nomen Hebraicum *, Sabbaoth: etenim Bacchi ſacra, vt in Euterpe ſcribit *g* Herodotus, deducta ſunt a Phænicibus, qui Syri fuerunt, adeoque Iudæi, ſuffragante *h* Seldeno. Chriſtus item Dominus tropologice Bacchus appellatur, non ſolum quia Bacchus per tropum ſignificat vitem, & pro vite ſumitur a Mythologis: Chriſtus autem de ſe dicit aperte, *i Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt*, qui me plantauit, ſeuit, ac proprie genuit: ſed etiam quia Bacchus bimater dictus eſt, duplicem habens generationem, ex Ioue, ac ex Semele, diuerſis temporibus, ac ortu gemino: ex matre Semele, ipſum concipiente, non humano ſemine, ſed diuino; & ex patre Ioue, ipſum pariente ſine matre: ſic ipſe Chriſtus abſque ſuperſtitioſæ Gentilitatis errore, bimater dicitur, duplicem obtinens ortum, geminamque generationem, vnam quidem ab æterno, ſiue potius in æternitatis momento, a Deo Patre, ſine mortalis matris opera, ipſo æternæ matris vices habente qui de Filio, ſiue Filio ſuo dicit apud Pſaltem diuinum: *k Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis. Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum ante Luciferum genui te*. Alteram autem ex Matre homine Virgine in plenitudine temporis, ipſum concipiente ſine concurſu viri de Spiritu Sancto *l* Deo; in qua generatione Verbum Diuinum Caro

d cap. 63.
e Thren. 1.
f Gyraldi ſynt. 8.
* Hiere. 11 Rom. 9. Iacob. 5.
g l. 2 c. 49.
h de Dijs ſynt. 2. c. 5.
i Ioan. 15.
k pſ. 109.
l Luc. 1.

m Ioan. 1. factum *m* eſt, & Dei Filius homo factus eſt, in vtero Vir-
n Matth. 7. ginis virum *n* non cognoſcentis. Et quemadmodum Bacchus vulgaris primam ſui conceptionem obtinuit in vtero Semeles matris, alteram poſteriorem in femore Iouis patris: ita quoquo pacto materna Chriſti Domini generatio præcedere videtur paternam; quatenus illa iam peracta fuit, ab hinc mille ſexcentos quadraginta ſeptem annos; iſta vero generatio Filij Dei etiamnum hodie peragitur in æternitatis duratione ſtabili; quemadmodum, præter Origenem, vt antea notauimus,
o c. 55. apertiſſime teſtatur Lyranus *o* apud Iſaiam inquiens de Filio Dei, *ſemper naſcitur a Patre; iſta enim natiuitas menſuratur æternitate, quæ complectitur omne tempus*: & Da-
p pſal. 2. uid in perſona Filij Dei cecinit: *p Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Dicitur autem Bacchus iſte myſticus a beato Theſpeſij cognato dudum ex hiatu Purgatorij abijſſe in Deos; quia Chriſtus Dominus ex Limbo ducens animas Sanctorum Patrum, ibi veluti in Purgatorio degentes, rediuiuus elatus a mortalibus
q Luc. 24. Act. 1. *q* aſcendit ad Cælum, & ſedet ad dexteram Dei
r pſ. 109. *r* Patris, Deus ipſe cum Spiritu Sancto Deo; qui tres nomine perſonatum, vnus reipſa Deus ſunt eſſentia. Myſtice quoque dicitur eo, nimirum in Cælum adduxiſſe poſtea Semelem matrem Bacchus iſte metaphoricus; quia poſt aliquot annos ab Aſcenſione ſua in Cælum admirabili, Chriſtus Deus Matrem ſuam Virginem e terris aſſumpſit atque perduxit in Cælum; de qua legimus in
ſ Cant. 8. ſacra pagina: *ſ Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, delitijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum*. Huc ea pertinere poſſe videntur, quæ de Bacchi matre Semele ſcribun-
t l. 3. c. 5. tur a Diodoro, *t Eodem modo ex Semele ortum ad naturale principium deducunt, aſſerentes Thioniam ab antiquis Terram fuiſſe nominatam: Semelem, eo quod venerabilis ſit eius*

Dei

Digitized by Google

Dei cura & honor: Thioniam vero a ſacris ei impenſis vocatam: Bis ex Ioue natum tradunt. Etenim Virgo Mater Chriſti terra venerabilis eſt, Dei cura, & honor: terra quidem non ſolum communi ratione cum ceteris hominibus, de quibus dictum eſt, *Memento homo, * quia puluis es, & in puluerem reuerteris:* at ſpeciatim terra venerabilis, de qua ſcriptum eſt, *x Aperiatur terra, & germinet Saluatorem:* & *y Veritas de Terra orta eſt*; nimirum de Matre Virgine ortus eſt Chriſtus, qui *z* Veritas eſt, &, *Terra dedit fructum a ſuum:* nam alia terra myſtica vulgarium mulierum dat fructum viri; ſed mater Ieſu, quæ *b* virum non cognouit, dedit fructum benedictum ventris *c* ſui. Terra non maledicta in opere *d* viri, ſed benedicta inter *e* mulieres; adeoque venerabilis, Dei cura, quia Dominus ſecum: Dei honor, quia gratia *f* plena, & ſine macula, per gratiam impeccabilis. Thionia, ἀπὸ τοῦ θεοῦ καὶ νέω, quaſi ad *Deum natans* in hoc mari magno mundanarum procellarum, quas perpeſſa fuit in tota Chriſti ſui paſſione: vel ἀπὸ τοῦ θεοῦ καὶ ναίω: quaſi, in Deo habitans, qui ſecum ſemper fuit, a quo nunquam fuit per peccatum vllum ſeiuncta. Et bis ortus eſt ex Deo, in æternitatis momento *g* ſine matre; ac in plenitudine temporis ex *h* Matre Virgine virtute Altiſſimi fecundata. Quam myſticam Semelem Chriſtus Filius in corpore duxit in cælum inter beatos collocans. Poteſt etiam Semeles iſta Theſpeſij myſtica ſignificare naturam humanam omnium proborum, quam reſurgens Chriſtus Dominus ab inferno duxit ad cælum, & inter Diuos felicem conſtituit; appellat enim ſe paſſim *i* filium hominis. Quam veritatem antiqui Gentiles fabularum ſuarum inuolucris contexerunt; Hygino dicente: *Bacchus ab Ioue patre impetrauit ad inferos deſcendere, vt inde Semelem matrem reduceret:* nimirum Euam primam omnium matrem cum tota

* Gen. 3.
x Iſai. 35.
y pſ. 84.
z Ioan. 14.
a pſ. 64.
b Luc. 1.
c ibid.
d Gen. 3.
e Luc. 1.
f ibid.
g pſ. 109.
h Matt. 1. Luc. 1.
i Matt. 8. 9. & paſſim.

ſua poſteritate proba, ſiue totam humanam naturam fidelem, diu in inferni limbo detentam: Cui ſententię nonnihil fuiſſe videtur k D. Epiphanius, referens Euam ad Orgia Bacchi, quod etiam obſeruauit Gyraldus, aiens p l *Sed hoc loco non reticuerim, quod a viro cum ſanctiſſimo, tum doctiſſimo Epiphanio ſcribitur, libro contra hereſes tertio: In ſacris Dionyſij, qui ſerpentibus coronati clamantes ac Euantes, Va, Va, illam adhuc Euam a ſerpente deceptam inuocantes: aut, inquit, per aſpiratam vocem ex Hebræorum lingua, ſerpentem ad ſuum errorem acclamantes* (Epiphanij textus habet, *euocantes*, non autem, *acclamantes*) *Eua enim abſque afflatu Hebræis mulierem ſignificat; cum aſpiratione vero, ſerpentem.* Profecto D. Gregorius m duris Ethnicorum mentibus conſuluit non omnes illorum ritus abſcindere, ſed aliqua priſca ſua illis permittere, verum ad pium vſum transferre; proindeque vel ipſorum myſteria ſenſim ad cultum veri numinis conuertere. Purgatorij autem hiatum circumambiens ora recte vocatur Lethæ a ductore Theſpeſij beato, nimirum obliuionis locus; quoniam animæ purgatæ, proſilientes ab illis pœnis ad gloriam felicitatis, obliuiſcuntur omnium cruciatuum præteritorum; non ſecus ac ipſe Chriſtus Dominus ab inferis dum ſurrexiſſet, quem prius oportuit dira pati, vt introiret in gloriam ſuam, apparens poſt reſurrectionem diſcipulis de ipſius crudeli paſſione loquentibus, propriorum vulnerum atque dolorum immanium velut oblitus, dixit eis: n *Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & eſtis triſtes? & reſpondit vnus, cui nomen Cleophas, dixit ei, Tu ſolus peregrinus es in Hieruſalem, & non cognouiſti, quæ facta ſunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: Quæ?* & alibi: o *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor*, poſt dignos nimirum actus pœniten-

k l.3. cont. hæreſ. pag. 235.
l 18. ſynt.
m l.9. epiſt. 71.
n Luc. 24.
o Iſai. 43.

tentiæ, quos egerunt quicunque flamma Purgatorij fuerunt expiati; quocirca Lethe, ſiue locus obliuionis rectiſſime ponitur ad oram Purgatorij quoque reſpectu Dei. Addit poſtea *Plu. Itaque cupientem non paſſus eſt ibi commorari Theſpeſium, ſed vi abſtraxit, ſimul docens, præ voluptate colliquari, & humectari mentem; brutam vero partem rigidam, & obſtupefactam; memoriam corporis excitare, ex ea deſiderium naſci quod trahat ad generationem; quæ ſic dicatur, quum ſit inclinatio intendens animum humore grauatum.* Lie. Apte cognatus ille non permiſit morari Theſpeſium in obliuionis loco, quia quæ viderat ibi, debebat ad corpus reuerſus viuentibus mortalibus manifeſtare, non obliuioni mandare. Docuitque Theſpeſium eo loci mentem animarum expiatarum præ voluptate gloriæ, quam iam iam adipiſcuntur colliquari, veluti languentem x amore charitatis, in Patria cæleſti maxime vigentis; & humectari; nam, vt ait pſaltes, y *Homines & iumenta ſaluabis Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus. Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.* Porrò Deus ob immenſitatem miſericordiæ ſuæ ſaluat non ſolum homines, hoc eſt animas rationales, quæ ſunt hominis differentiæ ſpecificæ; quod efficit ſtatim a morte cuiuſque iuſti, ac ab expiatione Purgatorij; ſed etiam iumenta, nimirum humana corpora, parteſque humanæ animę vegetalem, ſentientem, atque motricem, quæ communia ſunt homini cum iumentis; at iſta ſaluabit & glorificabit Deus in vltima die Iudicij vniuerſalis, homines iuſtos cum corporibus quibuſque ſuis glorificatis ad cælum perducens, & vbertate gloriæ replens, torrenteque voluptatis inebrians in fonte vitæ. Quum ante mortem

x Cant. 2.
y pſ. 35.

bru-

bruta pars animæ in humano corpore rigida, nec ita facile rationi parens, & obſtupefacta ſenſualibus appetitionibus, excitet memoriam obiectorum carnalis voluptatis; & ex ea memoria proueniat cupiditas, quæ trahit animum ad generationem corporalem, veluti grauatam humore ſeminali, cuius abundantia nimium inclinat, at intenſe promouet animam ad venerea. Sed quando pars hæc inferior animæ, licet aliqua cum repugnantia, rationi tandem obtemperat, ſemetipſam captiuans in obſequium illius, vt præbet occaſionem, animæ rationali bene merendi, ſic & ipſa cum corpore quoquo pacto meretur a ſummo Deo ſaluari poſtremi Iudicij die, reunirique glorioſæ animæ ſuæ rationali, & ab ea gloriæ voluptate repleri, pro voluptate ſenſuali pridem voluntarie neglecta. Quos quidem torrentes æternæ voluptatis, ac fontem gloriæ beatorum in cælo procul a Purgatorij loco ſtatim deſcribens addit *Plu. Tantundem porro itineris vbi conficit Theſpeſius, viſus eſt ſibi videre ingentem craterem, inque eum riuos influere, quorum alius candidior maris ſpuma aut niuibus eſſet, alius purpuram arcus cæleſtis referret, alij alijs coloribus infecti eminus ſuum perhiberent ſplendorem. Vt propius acceſſit, crater ambiente aere magis abolito, & obſcuratis coloribus floridiſſimum retinuit abſque albedine colorem. Vidit autem tres Genios ibi in formam trianguli conſidentes, qui aquam influentem inter ſe menſuris quibuſdam dimetirentur.* Lic. Qui Theſpeſius a cognato ſuo ductus erat a loco cæleſti beatorum nunc in cælo felicium ad terræ locum Purgatorij, poſtea rurſum reducitur ad cælum ea viſurus, quæ Deus daturus eſt beatis poſt vltimum Iudicij poſtremi diem; & quia prorſus idem ſpacium eſt a loco gloriæ cæleſtis ad caueam Purgatorij terreſtris, atque a Purgatorio ad Empyreum; propterea recte dicit ipſe Theſpeſius, vbi tantundem

tundem itineris confecit aſcendens, quantum prius egerat deſcendens, viſum ſibi videre craterem ingentem, in quem multi riui variorum colorum influerent. Hunc ſane craterem D. Areopagita ſcribit eſſe communem ac vniuerſalem omnium bonorum communionem, de quo felices in cælo potant, ac inebriantur myſtice; dicit enim poſt quam late docuit de rebus Diuinis myſtice loqui Theologus: *z Recte igitur ſapientiſſima benigniſſimaque ſapientia a ſcriptis diuinis laudatur, quod & myſterij plenum cratera ponat, & ſacrum eius poculum profundat; & magis quod ante hæc firmos ſolidosque cibos apponat: & cum excelſo præconio ipſa eos qui ſe egent benigne a inuitet. Duplicem ergo cibum diuina ſapientia apponit, alterum firmum & ſtabilem, alterum liquidum atque profluentem: atque in cratere & calice benigniſſimæ prouidentiæ ſuæ præbet munera. Calix quidem quum rotundus ſit, & patente apertoque ore, patentem, & omnia obeuntem omnium prouidentiam, quæ principio & fine caret, ſignificat. Sed quoniam quum ad omnia progrediatur, tamen in ſe manet, & ſtans in immobili identitate ſua, firmiterque collocata omnino a ſeipſa non diſcedit, ſicut conſtanter & compacte ipſe etiam crater conſiſtit, &c.* Profecto cibus myſticus ille ſolidus, quo beati paſcuntur & ſaturantur in Empyreo, eſt ipſamet eſſentia diuina; qua fruuntur: alimentum vero liquidum, quod in cælo bibitur, eſt omne bonum optimum, omne datum *b* perfectum profluens ab eſſentia diuina in myſticum craterem beatitudinis; & quia bona, perfectionesque profluentes ab eſſentia diuina varij generis exiſtunt, ac infinitæ multitudine, ſunt etenim omnes quæcumque poſſunt imaginari, & replere deſiderium humanum, quod infinitum *c* eſt; & ab infinita Dei eſſentia perfectiones emanant in ſe variæ, ac numero, nedum duratione, ac intenſione infinitæ; propterea Theſpeſius earum varietatem diuerſi-

z Epiſt. 9.

a Io. 4. 6. 7.

b Iacob. 1. cap. 1.

c 3. ethic. cap. 2.

ſi-

ſitate colorum diſtinguit; earum infinitatem numero ſignat indeterminato riuorum influentium in ingentem craterem beatitudinis, de quo bibunt omnium bonorum participabilium fluenta fœlices animæ beatorum innumeræ, ac vt ita dicam infinitæ, ſimul & millia *d* millium Angelorum Deo miniſtrantium in cælo: quorum colorum candidus puritatem, purpureus charitatem, & alij colores alia bona ſibi proportionata deſignant. Trinus autem ille Genius in formam Trianguli ſedens, qui aquam influentem inter ſe menſuris quibuſdam dimetiuntur, nihil eſt aliud quam Tres Diuinæ Perſonæ Triangulum myſticum efficientes *e* Bongo vnius Dei, qui ſingulis beatis, pro ratione meritorum cuiuſque diſtribuit menſuram nectareæ felicitatis de cratere gloriæ, iure conuenientem. Quum autem Genius ſit ſubſtantia ſpiritalis, & natura penitus incorporea, merito conuenit nomen Genij Deo, diuiniſque corporibus. Ceterum & per illos tres Genios intelligere poſſumus tres Parcas, quas ad Deum refert Ariſtoteles aptiſſime dicens: *f Quin & μοῖραν, id eſt Sortem, appellatum eundem Deum a partitione rerum dixerim: &* Νέμεσιν*, quaſi Poteſtatem Diuinam, cius quod viſum eſt cuique diſtributricem:* Ἀδράστειαν *etiam, quaſi cauſam quandam natura comparatam, quam fallere nemo queat, aut vitare:* ἀεὶ οὖσαν *denique dictum, quaſi ſemper exiſtentem. Iam quod de Parcis, & de fuſo proaitum earum, eodem id etiam quodammodo pertinet. Siquidem tres Parcas priſci tria in tempora partiti ſunt: filumque fuſi partim iam peractum, partim futurum, partim iam intorqueri dixerunt. Earum vnam ſtatuentes in eo, quod iam profligatum eſt: quam Atropon ideo nuncupant, quoniam ea quæ iam præterire, retrorſus agi nequeunt. At Lacheſis functio futuris deſtinata eſt; omnium enim quæ ſecundum naturam ſunt, ſors ſua quodque manet. Præſentibus autem rebus aut inſtantibus Clothus opera attributa*

d Daniel. 7 Apoc. 5.

e de myſt. num. ſign.

f de mundo cap. 7. f.

buta eſt, quæ netu vnicuique conficit, quod ſuum eſt: Hoc itaque fabulamentum rectè atque ordine compoſitum eſt: proinde hæc omnia non aliud quidquam, quam Deum eſſe planum eſt, vt eximius Plato cenſuit: Enimvero Deus (vt eſt vetuſto verbo proditum) principium, & finis, & media rerum omnium tenens, rectaque linea incedens, operatur ille quidem ſecundum naturam; e veſtigio comitem habens Iuſtitiæ præſidem, quam δίκην nominauerunt, diuinæ legis vindicem, ſimul vt quicquid ſanctionum eius prætermiſſum eſt. Cuius vt ſit particeps numinis iam inde oportet ab initio, qui ad vitam beatam euaſurus eſt, atque felicem. Licet alij, non fuſum torquere Parcis attribuant, vt hic, ſed ſtilos acuentes, ceraſque componentes, Senatui & Curiæ cælitum præſto futuras, vt apud Marcianum *g* Capellam: tum etiam, vt obſeruat eruditiſſimus Pignorius noſter in Tabula Picturæ antiquiſſimæ Romæ habita, quarum vna loquatur, altera geſtat album in quo ſcribat, tertia aquam affundit: demumque, vt in præſentia Theſpeſius, aquam bonorum certis menſuris inter ſe metientes, quod iam explicauimus. *Plu. Huc vſque aiebat Theſpeſij animæ ductor Orpheum perueniſſe, quo tempore animam vxoris quæſiuit, & non probe memoria ſuggerente falſum hunc ad homines ſparſiſſe ſermonem, Oraculum quod apud Delphos eſt, &c.* Lic. Recte de Diuinis locutos eſſe veteres per ænigmata, fabulas, atque metaphoras obſeruauit *h* D. Areopagita: recte quoque notauit Ariſtoteles *i* Philoſophum primum, qui Theologus eſt, eſſe amatorem fabularum, quæ ſunt de rebus admirandis: quare Theologi Gentilium Orphei fabula de coniugis apud mortuos inquiſitione myſticam habet allegoricamque ſignificationem; nimirum Orpheus qua Theologus apud Gentiles, ea fuit amator Veritatis rerum diuinarum, vti Philoſophus eſt amator ſapientiæ, quæ rerum altiſſimarum cognitio *k* defini-

g de nupt. Philol. c. 1.

h epiſt. 9.

i 1. metaſ. 1. c. 2.

k 6. Ethic. c. 7.

finitur; amator inquam tanquam charæ coniugis, cum qua factus erat vnum *l* & idem; nam intellectus intelligendo fit ipſummet *m* intelligibile. Forte vero Theologia Orphei coniux Euridice, quam interpretatnr *n* Fulgentius profundam diiudicationem, fugiens amatorem Ariſtæum, qui virtutem ac veritatem ſignat, a ſerpente fraudis & erroris occiditur, vt explicat Boccatius; *o* nam profundam diiudicationem rerum diuinarum amans & inquirens abditam humanæ menti, progreſſus Orpheus eouſque fuit, vt agnoſceret, diceretque Deum vnum eſſe magnum, iuſtum retributorem bonorum in cælis, & malorum in inferno; quam Theologiam carminibus deſcripſit, quæ a tota Gentilitate canuntur, & obſeruantur. Sed ad ſalutem vlterius atque diſtinctius promouentia myſteria non peruenit, quæ Theſpeſio monſtrata fuerunt, & mandata vt hominibus referret rediuiuus; quum Orphei mens in eo falſa fuerit, veritatem memoria non ſuggerente, quod falſum ſermonem ad homines ſparſerit, de quo ſtatim. *Plu. Oraculum, quod apud Delphos eſt, Apollini eſſe cum nocte commune; quum quidem cum nocte commune Apollini ſit nihil.* Lic. Myſtica declaratio eſt, Apollinem, qui Sol eſt, verum Deum ſignificare; qui de ſe dicit, Ego ſum lux *p* mundi, qui mecum eſt non ambulat in tenebris; & eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem *q* venientem in hunc mundum; qui myſticus Apollo (vt adnotat etiam Clemens *r* Alexandrinus, & nos antea *ſ* obſeruauimus) non dedignatus eſt reſponſa dare per Pythiam ad ſalutem Greciæ Delphos conſulentis, vt Eaci viri Iuſti precibus innitерentur. Falſum inquam dixit Orpheus huic Apollini myſtico commune oraculum eſſe cum nocte; quoniam nox tenebras indicat, & tenebrarum poteſtates, cacodæmones falſa prorſus oracula fundentes; quum vero Deo & cacodæmoni commune ni-

l Geneſ. 2. *m* 3. de na. t. 8. 18. *n* l. 3. mythol. *o* 5. Geneal. c. 12. *p* Ioan. 8. *q* Ioan. 1. *r* 6 ſt om. *ſ* pag. 159. 160.

nihil ſit, nullaque communicatio veri cum falſo, luci cum tenebris, vt ait Apoſtolus: *t Quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial?* Apollinem eſſe Solem, & hunc eſſe Dei optimi maximi hieroglyphicum apud omnes tum ſacros, tum profanos autores, euidentiſſimum *u* eſt. *Nox autem* (obſeruatur *x* Pierij) *præſentis vitæ tenebras, & hallucinationem ſignificat*. Subiungit de ductore Theſpeſij Plu. *Verum hoc (addebat) noctis eſt & Lunæ commune oraculum, nullo terræ fine incluſum, neque vna certa fixum ſede, ſed quod vſquequaque inter homines viſis ſomnijsque vagetur. Hinc enim ſomnia, vt vides temperata, & fallaci ac vario ſimplex verumque adſciſcentes diſſeminantur. Apollinis autem neque vidiſti, neque videre potes; altius enim ſe non effert, neque concedit animæ terreſtris portio, ſed deorſum tendit a corpore dependens. Simulque conatus eſt adducto Theſpeſio oſtendere lumen, quod (vt narrabat) e tripode per ſinus Themidis enititur in Parnaſſum. Sed quum id is videre cuperet, præ ſplendore non conſpexit. Audiuit tamen præteriens vocem acutam mulieris carmine edentis cum alia quædam, tum tempus etiam, quo ipſe extremum eſſet vitæ diem confecturus. Dicebat autem genius vocem hanc eſſe Sibyllæ, quæ in facie Lunæ circumuehens futura caneret. Quum autem plura vellet audire, impetu Lunæ, veluti fluctu, in diuerſam partem compulſus, pauca percepit: e quibus fuit etiam vaticinium de monte Veſuuiō, & Dicæarcheæ conflagratione, ac de principe eius temporis inciſum hoc: Bonus quum ſit, morbo tyrannidem finiet.* Lic. Proponitur his diſcrimen inter oracula, quæ proueniunt vera & ſalutaria a ſummo & vero Deo, & quæ a malo Dæmone, licet vtraque de eodem tripode ducantur; nam ex eodem tripode Delphico tum diuina, tum etiam dæmoniaca prodiiſſe reſponſa, notiſſimum eſt non ſolum ex ijs, quæ dudum *y* notauimus apud Clemen-

t 2. Cor. 6.

u Pier. l. 43.
x lib. 44.

y pag. 159. 160.

z l.6.ſtrom. tem z Alexandrinum, ſed etiam ex ijs, quæ de Sibyllis aſ-
a contra Iouinian. feruntur a ſacris doctoribus; etenim D. Hieronymus *a* ait
Sibyllam vocari, quia conſilium Dei norit; & *b* Euſebius,
b de vita Conſtant. a quo *c* D. Auguſtinus, inquit: *Equidem mihi ſuccurrit*
c 18. de ciu. c.23. *in mentem, vt externum de Chriſti diuinitate aliquod teſti-
monium commemorem, ſiquidem eo fiet, vt improbi mortalium animi petulantiæ morbo grauati Dei Filium, Deumque (modo ſua admittant, & fidem adhibeant) intelligant. Igitur Erythræa Sibylla, quæ ſeculo ſexto a diluuio fuiſſe dixit Apollinis ſacerdotem ſe, ac corona fortaſſe propterea habuit inſigne caput, illius Dei ritus obſeruatrix. Antiquum tripodem, circa quem verſabatur anguis, amplexata, qui ſciſcitatum adijſſent, oracula edebat amentia parentum, qui religioni deuouerant. Ex qua impudici animi, frugi nihil euenit vnquam; vt ijs, quæ de lauro feruntur, omnia conſonent. Illa igitur aliquando medijs adytis, importuno ſuperſtitioſæ religionis ritu intermiſſo, afflata proculdubio cælitus, edidit aperte futura de Deo verſibus. In eorum ſerie literæ quæque primores (Acroſtichis a Græcis appellantur) aduentus Ieſu hiſtoriam ſignificant. Acroſtichis hæc eſt. IESVS CHRISTVS DEI FILIVS, SERVATOR CRVX. Verſus autem hi, qui ſequuntur.*

I udicio tellùris erit ſudoribus omen.
E rumpetque alto carnem qui iudicet, atque
S uſpenſum (tanti eſt regis præſentia) mundum:
V iderit inde omnis, vel ſi perſpecta fides eſt,
S ine hac nulla, Deum ſanctosque in finibus æui.

C arnis amaſius, & pulpa veſtitus amica,
Hic animis alta e ſella ius dicet, eritque
R erum campus inops, tribuli naſcentur, opesque
I nuiſæ fient homini, atque iacebit imago.
S oluentur portæ Stygij Plutonis ab illo.

Tum

T um quoduis iſta gaudebit luce cadauer:
V ir ſacer atque ex lex flamma dignoſcitur, atque
S citur integrum quicquid tamen vſque latebat.

D ucet enim lampas reſeratis frontibus intro:
E t multi plangent, multi ringentur, & aſtra
I nducent choreæ legem, facies tum Solis opaca.

F lexum erit & cælum, nulla quoque luce Diana,
I mplebit valles, & caſſa cacumina reddet:
L abentur colles, hominum faſtidia: toti
I ncipient æquor fieri montes, mare demum
V eliuolum nulli, quum tellus fulmine areſcet.
S ubſiſtent fontes, & nuſquam fluminis horror.

S uſpectum cælo ſonitum dabit ære recuruo
E iulans tuba perniciem, mundique labores,
R ecludetque chaos immenſum terra dehiſcens.
V ndique conuenient reges, ſedemque videbunt,
A cælo riuus flammæ, vnda ſulphuris atri.
T um bene iactandum Iudicium mortalibus, atque
O ptatum cornu, lignum cum gente fideli.
R es æque vna pijs vita, orbique inſitus error.

C lara duodenis illuſtrans fontibus vnda,
R oborcumque pedum toto dominabitur æuo.
V erſibus exſcriptus Deus his primo relitura eſt
X enophilus noſtra cauſa rex vltima paſſus.

Iſta diuinitus in animum venit edicere virgini, quam ego profecto beatiſſimam eſſe iudico, delectamque a Deo Optimo Maximo conſilij ſui vaticinatricem de nobis. Hæc ad verbum Euſebius: ex quibus primo colligas, eandem Sibyllam Ethni-

Ethnicam ex eodem tripode Apollinis conſueuiſſe vaticinia fundere tum impudici animi, nihil frugi continentia, vtputa inſpirata cacodæmone: tum etiam virginea, ſalutaria mundo, Dei Filium, & Iudicium finale præmonſtrantia mortalibus Ethnicis. Deinde vero reſponſa Dæmonum eſſe perplexa, quia vult ille decipere mortales ambiguitate ſermonis; & quia de futuris non habet Dęmon cognitionem omnino certam: e contra diuina reſponſa ſemper eſſe certa, & clara; quia Deus illa mittit ad hominum doctrinam, omniſciens ipſe, cui ſunt in æternitatis momento cuncta prorſus euidentia & præſentia. Quod etiam Theſpeſius retulit contra diſtinguens oraculum Apollinis myſtici, qui verus Deus eſt, nihil habens commune cum nocte, nempe cum vaticinio principis tenebrarum, ab oraculo noctis, quod ait eſſe commune cum Luna, quæ inconſtantiam, varietatem, & inſipientiam, deceptionemque *d* ſignificat: vnde *e* Salomoni: *Homo ſanctus in ſapientia manet, ſicut Sol: nam ſtultus ſicut Luna mutatur*. Et oracula Dæmonum aſſimilantur inſomnijs, quæ veritatem non continent, ſed apparentiam tantum, & ſimplici veritati varietatem fallaciæ permiſcent. Ceterum Apollinis myſtici, Dei nempe ſummi purum ac verum oraculum, quod per reuelationem cognati ſui Theſpeſius audiuit, ac per imagines animarum omnis generis vidit, immediate (vt *f* Paulus, in ipſa diuina eſſentia) neque vidit, neque videre potuit; quoniam anima Theſpeſij nondum perfecte purgata, ſed terrenarum culparum etiamnum ſordibus grauata, deorſum tendit, a corporea culpa depēdens, & impedita ſcandere ſurſum ad tertium cælum, ac in Paradiſum, vbi Paulus vidit arcana verba diuinæ eſſentiæ mortalibus incomprehenſibilia, & inenarrabilia; vt ait *g* D. Auguſtinus. Accipit enim hic Theſpeſius viſum pro auditu, ſicut in Exo-

d Pier. Hierogl. 44.
e Eccleſ. 27.
f 2. Cor. 12.
g Epiſt. 3. c. 11.

Exodo, *h Populus videbat voces, & lampades, & ſonitum buccinæ*. Tunc autem cognatus ille conatus eſt adducto Theſpeſio monſtrare lumen eſſentiæ Diuinæ, quo fruebatur ipſe beatus, quodque (vti narrabat) e tripode myſtico Sanctiſſimæ Triadis, per ſinus Diuinæ Iuſtitiæ, quæ Themis interpretatur apud Platonem a *i* Ficino, enititur in Parnaſſum montem æthereum, ac myſticum, qui paſſim apud Patres *k* ipſe Chriſtus eſt, biceps ob duplicē naturam in vna perſona, in quo loquitur Deus: ſed præ nimio ſplendore, nimiaque maieſtate, cuius non erat capax anima Theſpeſij, ſicuti fuit anima Pauli, lumen ineffabile prodiens e Tripode Diuinitatis videre non potuit; audiuit attamen, in tranſcurſu præteriens, vocem acutam Sibyllæ canentis præter alia vaticinia, tempus determinatum, quo Theſpeſius ipſe poſt reditum ad corpus, eſſet iterum moriturus: cuiuſmodi vaticinia monet D. Gregorius *l* illos etiam audiuiſſe, quos mortuos viſionibus diuinis habitis ad vitam mortalem remiſſos memorat. Dicebat autem genius ille bonus, anima nempe cognati Theſpeſium ducentis, iſtiuſmodi vocem vaticinatricem eſſe Sibyllæ, quæ futura caneret ipſi Theſpeſio circumuehens in facie Lunæ; nimirum lumine veritatis a ſummo Deo ſuſcepto, ſicuti Lunæ facies non proprio, ſed ſolari lumine ſplendet, indicatque res in tenebris nocturnis; non ſecus afflata Dei lumine Sibylla præmonſtrat futura, quæ deliteſcunt nobis in tempore venturo. Quum autem plura vellet audire Theſpeſius; etenim omnis homo natura ſcire deſiderat; *m* quod naturale deſiderium non amittit anima, licet a corpore ſeparata; quia non expediebat eum alia noſſe, præter oſtenſa, ſuis gentilibus referenda, ſic annuente numine, impetu Lunæ rotantis, veluti fluctu compulſus eſt in aliam ætheris partem Theſpeſius; interim tamen e Sibyllæ carmine pauca per-

h cap. 20.
i in arg. 11. de legib. in f.
k Aro. S. B. S. Ambr. Luc. 19. Exod. 19 Pſal. 14. 45. 47. 67.
l 4. moral. c. 36.
m 1. meta. init.

cepit oracula conferentia ſatis ad ſuum ſcopum; eo quibus fuit vaticinium de ventura conflagratione Veſuuij montis, & Dicæarcheæ; ac de principe temporis illius carmen hoc, *Bonus quum ſit, morbo tyrannidem finiet*, non violenta trucidatione; tyrannis enim ſumitur hic pro bono regimine, vt apud antiquiores, non in malam partem, vt apud iuniores vſurpatur. Hæc autem vaticinia data fuerunt audiri, quo Theſpeſius vt in his, ita in alijs ab ſe dicendis veridicus haberetur. Et quia non a malo genio, ſed a bono, & a vero Numine per Sibyllam iam in ætherea regione beatam oracula prodierunt, ideo clara, ſimpliciaque fuerunt, non per ambages obſcura, ſicuti Dæmoniaca ſunt. *Plu. Secundum hæc ad ſpectanda ſupplicia ſe conuertunt. Atque initio quidem tantum difficilia, & miſerabilia viſu ipſis ſunt oblata: poſt in amicos etiam, & familiares, & ſocios præter omnem ſuam expectationem incidit Theſpeſius, qui graues cruciatus, ac fœda ſupplicia, duriſſimaque perferentes, ipſum cum lamentatione & ploratu compellarent. Denique etiam patrem ſuum conſpexit e voragine quadam emergentem plenum puncturarum, atque cicatricum, manus aduerſus ſe intendentem, ac ſilere non paſſum, ſed coactum a præfectis ſuppliciorum fateri, nefarie ſe hoſpites quoſdam auro præditos veneno ſuſtuliſſe, & quum iſtic (*in vita mortali ſcilicet) *latuiſſet, hic* inter mortuos *ſceleris conuictum, partim dediſſe pœnas, & iam duci vt reliqua patiatur. Deprecari ibi, aut intercedere pro patre non auſus præ metu & terrore Theſpeſius, quum referre pedem & fugere vellet, non iam amplius benignum illum, & familiarem vidit ductorem.* Lic. Vel quia beatæ mentes inferni loca non adeunt intime, ſed a longe *n* ſpectant, vt Lazarus Epulonem; vel etiam vt anima Theſpeſij ductore deſtituta pœnas inferni magis timeret ac horreret: ſimul & intelligeret ibi nullum eſſe ſocietatis ſolatium; quo ma-

n Luc. 16.

gis

gis earum atrocitatem agnoſceret, atque viuentibus rediuiuus Theſpeſius ad eorum ſalutem manifeſtaret. *Plu. Sed* ipſe *ab alijs quibuſdam aſpectu terribilibus propulſus, reliqua ſpectauit. Eorum, qui aperte mali fuerant, aut in vita pœnas dederant, animaduertit vmbram non ita iam difficilem eſſe, neque atteri ſimiliter imperfectam, aut laborare in bruta, & adfectibus obnoxia parte.* Lic. Quia Diuina Iuſtitia limites recti non *o* excedit; vnde minus improbos minori pœna torquet; quoſque viuentes aliqua ex parte caſtigauit; nam & in hoc ſæculo propter peccata Deus aduerſa mittit, vt habemus in ſacra pagina *p* frequentiſſime; defunctos impœnitentes minoribus tormentis afficit in inferno, pro menſura delictorum vniuſcuiusque. *Plu. Qui vero ſub prætextu & opinione virtutis vitam latente improbitate exegiſſent, hos alij adſtantes cogebant magno cum labore & dolore interiora animæ foras obuertere, contra naturam torquentes ſe ſe, & flectentes, quomodo marinæ ſcolopendræ hamo vorato ſe ſe voluentes inuertunt. Quoſdam cute direpta explicantes, oſtendebant intus vitioſos, & qui nequitiam in ratione animæ partis principe tectam geſſiſſent. Alias quoque ſe vidiſſe animas perhibebat, quæ viperarum inſtar binæ ternæ, aut etiam plures complicatæ, inuicem ſe manderent, ob memoriam iniuriarum, & mæſtitiam de rebus in vita actis aut toleratis. Eſſe etiam lacus iuxta ſe poſitos, vnum feruentis auri, alium frigidiſſimi plumbi, tertium aſperi ferri: his adſtare quoſdam genios, qui fabrorum ærariorum in morem, inſtrumentis ſuis animas eorum, qui ob auaritiam, & habendi inexpletam cupiditatem malefici fuiſſent, lacubus qua demitterent, qua extraherent: nam in aureo lacu quum candentes ac vi ignis perſpicuæ eſſent redditæ; plumbeo iniectæ congelabantur; & grandinis ritu duratæ, in ferreo nigerrimæ fiebant, ac confringebantur, contereban- turque ob duritiem; formaque mutata, rurſum ad aureum la-*

o Ariſt. de mundo c.7 f.

p Pſ. 108. Leuit. 20. Num. 14. Deut. 28. & alibi paſſim.

cum reijciebantur, atroces (vt aiebat) hiſce in mutationibus cruciatus perferentes. Omnium autem miſerrime excruciari eas, quæ iam miſſæ factæ quum viderentur, ad ſupplicium retrahebantur: hæ autem erant, quarum pœna in poſteros redundarent; quum enim harum aliqua eodem peruenit, irata incidit, & clamore obtundit ſigna oſtendens eorum quæ paſſa eſt; exprobratque, & inſequitur fugere, & ſe ſubducere fruſtra conantem; celeriter enim tortores accurrunt ad ſupplicium, & denuo compellunt eiulantes ob prænotionem pœnæ. Nonnullas quoque & multas poſterorum animas ferebat a ſeinuicem pendere, & apum aut veſpertilionum modo maiorum animam inſectari, ac ſtridere, ob memoriam eorum, quæ ipſis propter eos eueniunt. Lic. Nimirum hæc omnia nos edocent Orthodoxi Patres, quicumque tractant de modo, quo Diuina Iuſtitia ſontes animas punit in *q* inferno; vtens corporalibus rebus atrocibus ad cruciandas admirabiliter incorporeas animas impiorum, & vniuſcuiusque ſceleribus adhibens appropriata proportionabiliter tormentorum genera. *Plu. Extremo loco vidit animas, quæ ad ſecundum ortum conuerſæ, in varia animalia vi flecterentur, atque transformarentur inſtrumentis a verberibus, ab ijs, quibus illud opificium commiſſum eſt: qui integra membra aut contundunt, aut auertunt, aut etiam omnino dedolant atque abolent, vt alij vitæ congruere poſſint.* Lic. Apte ſecundum ortum ait animas illas ſubire, quæ non exeuntes ex inferno, mutantur ibidem in animalia bruta myſtica, quaſi coniungerentur illis mutatione phyſica; maioreque cruciatu velut haberent humana membra, pœna ſenſus cruciarentur per eorum inuerſionem, contuſionem, dedolationem, violentamque transformationem in membra brutorum infernalium immaniter patratam crudeli miniſterio ferocientum cacodæmonum. *Plu. In his conſpexit etiam Neronis animam, male tam cum alias affectam,*

q Iob 24.

tum

tum clauis confixam aureis. Hic quum iam opifices formam viperæ Pindaricæ præberent, in qua geſtata in vtero, & matre pereſa viueret; ſubito (vt narrabat) magnum effulſit lumen, & vox ex eo edita iuſſit in aliud manſuetius animal mutari, quod circum paludes & lacus caneret: dediſſe enim pœnas flagitiorum; & aliquod ei a Dijs deberi beneficium, quod ſubditorum optimam piiſſimamque gentem Græcos liberaſſet. Lic. Niſi dicamus hæc a Plutarcho ſcripta præter enarrationem Theſpeſij, tum vt ſuos Græcos laudaret, tum ne Romanum Imperatorem Adrianum, cuius familiaris erat, offenderet, anteceſſorem ſuum vituperans nimium. Ad Iuſtitiæ diuinæ rectitudinem hoc referendum eſt; nam etſi Nero propter internecionem matris apte debuiſſet in catulum infernalis viperæ transformari; tamen ob aliqua bona geſta congruum fuit, eum in mitiorem naturam ranæ tartareæ commutari, quæ caneret ad lacus inferni, vt cecinit in theatris: Quæ tamen transformatio miſerrima foret ſimul & odioſiſſima ſuperbo tyranno: qui viperam atrociſſimam potius quam ranam viliſſimam ingredi ſibi delegiſſet. *Plu. Atque hactenus fuit ſpectator. Reuerſus autem præ metu in extremum mali venit: quædam enim mulier mirabili forma ac magnitudine eum arripiens, Huc, ait, ades, vt ſingula rectius memoria complectaris: & bacillum quoddam, quali pictores vtuntur, candens ingeſſit: alia autem prohibuit. Ipſe autem tanquam a fiſtula, ſubito vento vehementi impulſus in corpus incidit, & oculos aperuit, tantum non iam in ſepulchrum conditus.* Lic. Vbi detecta fuerunt animæ Theſpeſij a corpore ſeparatæ cuncta ſiue bona, ſiue mala, quacunque ſubeunt in cælo, & in inferno defuncti, quæ viuentibus ad correctionem & ſalutem erant ab oculato teſtimonio referenda, beneficio diuinæ clementiæ, ne Gentiles illi carerent auxilio ſufficienti, nec excuſari poſſent, ſi perſeuerantes in malo, damna-

Digitized by Google

rentur ad æterna ſupplicia: Diuina Prouidentia, mulierem admirabili forma & magnitudine præditam referens; quæ res omnes mirifice diſponit, confirmauit in memoria Theſpeſij rerum omnium ab ſe viſarum imagines, ne in maxima mutatione, quam ſubiturus erat in reunione cum corpore deperderet illas; etenim grandis mutatio, qualis fit in ſeparatione, ac in reunione animæ cum corpore, delet phyſice cunctas notiones ex animo; vt alias ex *r* Ariſtotele *ſ* demonſtrauimus: quoniam vero non iungitur anima corpori niſi per calorem *t* diſpoſito; & anima nobilior *u* plus caloris in corpore poſtulat; ad hoc indicandum vidit anima Theſpeſij a Diuina Prouidentia bacillum candentem ingeſtum ſiue ſibi, ſiue corpori ſuo; ſubito vero, ac veluti vehementi vento impulſus incidit in corpus; quia velociſſime ſubitoque pareat omnia Diuina voluntatis imperio ſupernaturali. Quæ mihi dicenda fuerant ad abditam Theſpeſij viſionem & enarrationem aperiendam.

r Præd. Qual. *ſ* de imm. an c. 51. *t* de reſp. c. 14. *u* ibid. c. 13

Colligitur ex allatis diſtincta Quæſiti de Reſurrectione declaratio, nouoque teſtimonio ſatis explicatur. Cap. V.

Multiplex genus mortis phyſicū.

EX habitis multiplex eſſe tum phyſicum genus Mortis, tum & phyſicum, & ſupernaturale genus Reſurrectionis colligere poſſumus. Vnum quidem phyſicum mortis genus eſt, de quo nouiſſime Plutarchus, quando morbi violentia per caſum ex alto contracti rationalis portio animæ humanæ ſeparata fuerit a corpore, remanentibus adhuc partibus eiuſdem animæ, ſenſitrice vegetalique in corpore, in actu primo tantum; quod ad breue ſpacium tridui fieri poteſt; tunc enim mortuus eſt homo vere; ſed non omnino, ſi permaneat animæ humanæ portio caduca, ſaltem in actu primo; nam ad mortem

tem veram hominis ſat eſt vt ab eius corpore realiter ſeparetur animæ portio rationalis immortalis exiſtens: Quæ quidem viribus naturæ non poteſt regredi ad relictum corpus; tum quia nullum eſt agens naturale, quod eam corpori rurſum vniat: tum quia corpus illud non habet amplius potentiam naturalem immediatam ad iterum recipiendum vitam ab illa rationali anima; ſiquidem anima generatim omnis corpori iuncta, definitur ab Ariſtotele *a* actus primus corporis naturalis potentia vitam habentis; & eodem autore *b* nouimus, corpus quod abiecit animam, non habere vitam ab illa anima; quippe ſoluto iam vinculo, quo nobilior illa pars animæ corpori nectebatur, gradu nempe *c* multo caloris habitualis in eſſentiali temperamento; quem calorem corpus id a ſemine parentum ſolummodo ſortiri potuit; ineptum remanet corpus, cui phyſice reuniatur anima iam per mortis interuentum ab eo ſeparatam; nam actus agentium naturalium, *d* Ariſtoteli, non fiunt niſi in patiente diſpoſito, & in propria cuiusque materia. Et ſane qua ratione Medici *e* quotidianis experimentis obſeruant, partes ſpermaticas a corpore ſeparatas non reſtitui, quod neque materia ſeminalis, neque virtus formatrix earum phyſica, ſit amplius in corpore: eadem prorſus de cauſa ab agente naturali nullo rationalis anima ſemel egreſſa de corpore, poteſt iterum ad corpus reduci, & illi reuniri; licet habet id corpus adhuc priſtinas portiones animæ vegetalem & ſenſualem; quia non habet illum gradum calidi natiui, requiſitum ad animæ partem rationalem corpori connectendam; quod innatum calidum pridem in origine ſortitum fuerat embryi corpus a ſemine parentum: quam doctrinam non vno in loco Galenus *f* attulit. Alterum vero genus phyſicæ mortis eſt, quando tota deſtruitur hominis natura viuens, quia

a 2. de ani. t.6. & 7.
b ibid. t. 10
c de vir. & mor. c. 13.
d 2. de an. t. 24. 26.
e Gal. paſſim.
f 1. aph. 14 15. Adu. Lycũ c. 7. lib. de ſemin. paſſim.

Digitized by Google

quia non ſolum animæ noſtræ portio rationalis a corpore ſeparatur: verum etiam portio vegetalis & ſentiens deſinunt actuare corpus, extincto maiori gradu calidi ſubſtantialis, ad eam actuationem neceſſario; ſed tamen adhuc animæ partes illæ caducæ remanent in corpore, tanquam in vaſe, nihil illi tribuentes; vt abunde ſatis
g l.1.c.135. l.2. c.35. 36. oſtendimus tum in opere *De ſpontaneo* g *viuentium ortu*: tum etiam in libro *De* h *anima ſubiecto corpori nil tribuente*:
h c.12.13. prorſus extincto ſubſtantiali calido, ac temperamento, humanæ naturæ, vitæque neceſſario; quod humano corpori non poteſt ineſſe niſi a ſemine, ſanguineque parentum; vt fuſe demonſtrat i Galenus. Quod quidem mortis genus illud arbitror extitiſſe, quo perijſſe pridem
i loc.cit. k 10. de Rep. Erum Armenium obſeruauit k Plato; quia duodecim integros dies in cadauere frigido ſuperſtites eſſe non potuere corpus adhuc actuantes actu primo, poſt ſeparationem animæ rationalis immortalis, portiones caducæ ſenſitrix & vegetalis, temperaturaque propria corporis humani; vitam vegetalem ac ſentientem vel ſolum in actu primo retinentis. Cui ſane corpori nulla naturæ vis, ob eaſdem rationes nuper allatas, poteſt animam rationalem reunire, facereque mortui reſurrectionem naturalem. Tertium autem mortis genus eſt, quando nihil omnino ſupereſt animæ in cadauere, nec in actu primo, nec vt in vaſe; ſed tum rationalis eſt a corpore ſeparata: tum ſenſitrix ac vegetalis eſt in corpore iam putrido penitus extincta; quod euenit quatriduano iam fæ-
l Ioan. 11. tenti Lazari l cadaueri; nam alia corpora citius, alia tardius varijs de cauſis computreſcunt; quum omnia non ſint ad putredinem ſimiliter diſpoſita, ſed alia magis, alia minus. Quam quidem animam tum vegetam, tum ſenſitricem denuo cadaueri conciliare, proprium eſt parentum opus, qui procul abſunt, & mortui eſſe poſſunt;

non

non autem alterius vllius agentis naturalis: & quum inquam parentes plerumque diem obierint; & viuentes, phyſice non agant niſi circa materiam, quam *m* tangunt, in vtero degentem; certo certius eſt, reproductionem nouæ partis vegetalis, & ſenſualis, præparare valentis corpus ad animam rationalem denuo ſuſcipiendam, fieri non poſſe niſi ab agente ſupernaturali. Ceterum hujuſmodi reſurrectiones, vt apud *n* Chriſtianos, etiam apud *o* Ethnicos, eorum qui tormenta delictorum, & præmia bonorum operum patratorum, in alio vitæ ſtatu conſpecta, mortalibus etiamnum in hoc ſeculo degentibus annunciarent, vt procul a vitijs abigerent homines, & ad virtutis atque pietatis cultum inducerent viuentes, reſurrectiones inquam iſtas a Clementiſſimo Deo, ſupernaturaliter agente factas fuiſſe, qui nunquam non ſuauiter mundum gubernans, attingit a fine vſque ad finem fortiter, & vult *p* omnes homines ſaluos fieri, neminemque perire, mihi probatur; qui D. Auguſtinum video non ſemel *q* referre miraculum aquæ cribro pertuſo delatæ in teſtimonium virginitatis, non a d Cacodæmonem, virginitatis oſorem impuriſſimum, abſolute; ſed ad Angelum, atque ad ipſum Deum, caſtitatis virginalis amatorem; etenim de miraculis Gentilium, quæ commendant hiſtorici *r* Varro, Valerius *ſ* Maximus, *t* Plinius, *u* Tertullianus, Dionyſius *x* Halicarnaſſeus, ad Marcellinum ſcribit primum in opere De Ciuitate Dei: *y Quod Virgo Veſtalis, de cuius corruptione quæſtio vertebatur, aquam impleto cribro de Tiberi, neque profluente, abſtulit controuerſiam*. Quem locum explicans Leon. Coquæus, & doctus, & pius, ait: *Volunt aliqui id factum eſſe a bono Angelo ad virginitatem probandam, & in illius commendationem. Sed & dæmonibus abſque vlla difficultate fieri potuit; quia vt eſt in eorum poteſtate corpora ſecundum locum* mo-

m 2. de gen. an. c. 1.

n D. Greg. dial. 4. moral. c. 36.

o Plat. 10. de Rep. Plut. de ſera num. vind.

p 1. Tim. c. 2.

q 10. de ciu. cap. 16. & l. 22. c. 11.

Aqua cribro delata mirabiliter a Veſtali.

r l. de Rom.

ſ l. 8. c. 1.

t l. 28. c. 2.

u Apolog. c. 22.

x lib. 2.

y 10. de ciu. c. 16.

Veſtalis qua virtute pertulerit aquã in cribro.

Digitized by Google

mouere; ita in eorum poteſtate eſt efficere, ne a locis, in quibus ſunt, amoueantur. Vere prohiberi potuit & a bono, & a malo dæmone, ne per cribri foramina deflueret aqua; ſed quia miraculum id factum fuit in virginitatis tutelam, cuius virtutis Angeli ſunt amatores atque cuſtodes, e contra Dæmones oſores & deſtructores; probabilius eſt, oſtentum id a bono potius, quam a malo genio virginis illius actum fuiſſe. Quam ſententiam non deſpicere videtur ibi D. Auguſtinus, hoc oſtentum ſecernens a magicis Ethnicorum portentis, immediate comparans id conſimilibus oſtentis, ſed longe maioribus in Lege Diuina perpetratis a ſummo Deo, verbis ipſiſſimis: *Hæc ergo, atque alia huiuſcemodi, nequaquam illis, quæ in populo Dei facta legimus, virtute ac magnitudine conferenda ſunt: quanto minus ea, quæ illorum quoque populorum, qui tales Deos coluerunt, legibus iudicata ſunt prohibenda, atque plectenda, magica ſcilicet, vel theurgica?* Secernit ergo D. Auguſtinus hoc admirabile Tucciæ Virginis facinus a magicis.

l. 22. c. 11. De quo multo poſtea repetit: *Iam ſi ad eorum miracula veniamus, quæ facta a Dijs ſuis opponunt Martyribus noſtris, non ne etiam ipſa pro nobis facere, & nobis reperientur omnino proficere? Nam inter magna miracula deorum ſuorum profecto magnum illud eſt, quod Varro commemorat: Veſtalem virginem, quum periclitaretur, falſa ſuſpicione de ſtupro, cribrum impleſſe de Tiberi, & ad ſuos Iudices, nulla eius parte ſtillante, portaſſe: Quis aquæ pondus ſupra cribrum tenuit? quis tot cauernis patentibus, nihil inde in terram cadere permiſit? Reſponſuri ſunt, aliquis Deus, aut aliquis Dæmon: ſi Deus, nunquid maior eſt Deo, qui fecit hunc mundum? ſi Dæmon, nunquid potentior eſt Angelo, qui Deo ſeruit, a quo factus eſt mundus? ſi ergo Deus minor, vel Angelus, vel Dæmon, potuit pondus humidi elementi ſic ſuſpendere, vt aquarum videatur mutata fuiſſe natura, ita ne Deus omnipotens, qui ipſa crea-*

creauit elementa, terreno corpori graue pondus auferre non poterit, vt in eodem elemento habitet viuificatum corpus, in quo voluerit viuificans ſpiritus? Itaque D. Auguſtinus non diffitetur, a Deo, & ab Angelo Dei bono, contentam olim aquam fuiſſe in pertuſo cribro Virginis Veſtalis, ne flueret in terram, ad virginitatis eius oſtenſionem atque tutelam; quanto magis conceſſurus eſt, ad multorum ſalutem, ac auerſionem a ſceleribus, mortuum Ethnicum admirabiliter ad vitam reuocare apud Gentiles? Nonne, qui miſit & eduxit de ventre ceti tanquam de ſepulchro Ionam Prophetam ad Niniuitas *a* infideles, atque Gentiles (vt ait *b* D. Hieronymus, *c* Auguſtinus idem, *d* Maldonatus, *e* Lyranus, & ordinaria *f* Gloſſa) idem miſericors Dominus conuenientiſſime reſurgere fecit Ethnicos, Erum, atque Theſpeſium, a quibus monerentur infideles Græci de gloria beatorum, de pœnis inferni, & de finali Iudicio, vt reuocarentur a ſceleribus, quod euenit Niniuitis ex prædicatione Ionæ? Iſtæ profecto reſurrectiones a morte, tum animam non amplius viuificantem in cadauere non obtinente, tum ſeparatam a corpore, tum extinctam temperaturam eſſentialem, animęve portionem aut ſenſitricem, aut etiam vegetalem vtcumque agnoſcente, phyſice non ſunt, ſed ſupernaturales, multiplici ratione, propoſita quoque a *g* D. Bonauentura; prima quidem ex parte termini a quo nuncupati; quia non datur mutatio a priuatione vitæ, cuiuſmodi eſt mors, ad habitum; vt edocet *h* Ariſtoteles. Dein ex parte modi operandi, quia natura ſucceſſiue ſemper operatur in tempore debito, non ſubito; modo reſurrectio ſubito fit, non multorum dierum ſpacio, vt naturalis animatio, ex *i* Ariſtotele; quare phyſica non eſt mortui reſurrectio. Deinceps ex parte agentis, quia viuificatio naturalis fit a parentibus inter-

a Aug. 16. de ciuit. c.3.
b 1. Deuter.
c in 2. Prol. Ion.
d Matt. 12.
e Luc. c. 4.
f Luc. 4.

Reſurrectiones omnes a morte ſupernaturales eſſe.

g 4. ſe. di. 43 qu. 5.
h Præd. ca. de opp.
i 2. de gen. an. c. 3.

uentu ſeminis, ac omnino ab efficiente ſimilis naturæ; quod naturaliſſimum eſt viuentia fieri ab eiuſdem ſpeciei viuentibus, at reſurrectio citra parentum, & ſeminis interuentum efficitur; quare phyſica mutatio non eſt. Inſuper ex parte materiæ, quæ in cadauere non eſt diſpoſita, & in *l* potentia proxima ad vitam & animam recipiendam; & in cineribus nulla penitus, vt ait *m* D. Thomas: neque tales diſpoſitiones cadauer, aut cinis adipiſci phyſicæ non poteſt, niſi ab agente naturali, quod eſt paternum ſemen; & in loco debito, qui eſt vterus; cuiuſmodi non adſunt *n* operantia in actu veræ Reſurrectionis; quæ propterea phyſica non eſt, ſed ſupernaturalis. Reſtant conſideranda duo, terminus adæquatus Reſurrectionis, qui eſt homo viuens; & vnio, ſiue actuatio, viuificatioque corporis ab anima reunita. Licet autem homo reuocatus a morte ad vitam mortalem, vt *o* Lazarus, & viduæ Naim *p* filius, ſit corpus viuens pure phyſicum, vt erat antea quam moreretur; attamen non ideo Reſurrectio mortui dicenda eſt naturalis, effecta ab agente phyſico; quia Creatio, qua primo Deus condidit *q* cælum & terram ex nihilo, & hominem ex limo terræ, ac mulierem ex coſta viri; licet obtineat ſuum terminum corpus cæli, terræ, viri, & mulieris vere mereque naturale; non tamen ideo creationum earum vlla eſt actio phyſica, functioque naturalis, at vere ſimpliciterque ſupernaturalis, &, vt ait *r* D. Auguſtinus, admirabilior quam reſurrectio ex cineribus; quod ea ratione probat D. Thomas, *ſ* quia multo maior potentia requiritur ad faciendum aliquid ex nihilo, quam ex aliquo ſubiecto carente potentia proxima. Multo magis quam triduani, vel decumani cadaueris, dicenda ſupernaturalis omnium reſurrectio mortuorum ad vltimum Iudicium, vt recte notat *t* D. Bonauentura, quia terminatur ad hominem incor-

k 2. de an. t. 34. 1. mag. mo. c. 10.

l 2. de an. t. 10.

m ſuppl. q. 28. 3. O.

n D. Tho. ſuppl. q. 75 3. C.

o Luc. 16.

p Luc. 7.

q Gen. 1. 2.

r t. 10. ſer. 62. de ve. Do. in Ioa.

ſ 1. p. q 45. ar. 5. ad 2.

t 4. ſe. di. 43 qu. 5.

cor-

corruptibilem; qui licet naturalis ſit ratione ſubſtantiæ,
tamen ſupernaturalem habet formam incorruptibilita-
tis, ſiue ad gloriam *u* eleuatus, ſiue ad æternam pœnam *u* D. Tho. ſup. q. 75. 3. C.
condemnatus. De ſecundo, licet anima reunita corpo-
ri naturaliter ipſum informet vtcunque; non habuit ipſa
tamen naturalem potentiam ad eam reunionem cum
corpore, ſicuti late probaui dudum in opere *De anima
ad corpus phyſice non propenſa*, & in libro *De rationalis ani-
mæ varia propenſione ad corpus*. Quare nec iſta ratione
Reſurrectio dici debet naturalis, ſed omnino ſuperna-
turalis; quia anima ſemel a corpore ſeparata, non appe-
tit phyſice reuniri corpori, ſed ad ipſum regreditur iuſ-
ſione diuina; vt viſum eſt antea apud *x* D. Gregorium; *x* dial. 4. c. 36.
y Platonem, *z* Plutarchum, & aperte conſtat de Lazaro *y* 10. de Rep.
Betaniæ, & filio viduæ, qui reſurrexerunt imperante
Domino, *Lazare veni* a *foras: Adoleſcens, tibi* b *dico, ſur-* *z* de his q ſero a nũ. pun.
ge. Quocirca phyſice philoſophatus Ariſtoteles pro
impoſſibili tenuit, atque protulit mortuorum animalium *a* Ioan. 11.
Reſurrectionem; dicit enim, *c Præterea quoniam videtur* *b* Luc 7.
mouere corpus, rationabile eſt ijs mouere motibus, quibus & *c* 1. de an. t. 41.
*ipſa mouetur. Si autem hoc, & conuertentibus eſt dicere ve-
rum, quod ſecundum quem corpus mouetur, eo & ipſa: corpus
autem mouetur ſecundum lationem; quare & anima mouebi-
tur, ſicut corpus, aut tota, aut ſecundum partem tranſlata. Si
autem hoc, & egreſſam iterum ingredi contingat, ad hoc autem
ſequetur, vt reſurgant mortua animalium:* quod Ariſtoteles
deducit ibi tamquam impoſſibile in natura. Qui propte-
rea negans motum localem animæ, tam ſecundum ſe to-
tam acceptam, quam ſecundum eius vllam partem, etiam
negat eſſe poſſibilem naturæ viribus eam reſurrectio-
nem, qua portio ſola rationalis a corpore ſeparata reuni-
tur corpori adhuc in ſe retinenti partes animæ ſentien-
tem ac vegetalem; de qua reſurrectione vidimus egiſſe

Plutarchum in Theſpeſio, & D. Gregorium in Stephano; nedum illam, qua neceſſum eſt iterum effici partes vegetalem & ſenſualem, in locum abolitarum, vt in Lazaro iam fœtente factum eſt, & agendum erit in vniuerſali mortuorum Reſurrectione. Quapropter eam Apoſtoli *d* poſuerunt inter articulos Fidei, quia nouerunt ipſam viribus naturæ fieri non poſſe. Quam veritatem etiam agnouiſſe videtur, præter Ariſtotelem, Aeſchylus in Eumenidum *e* Tragœdia canens, de naturæ viribus:

d Symbol.

e v. 605. 606.

,, Viri poſtquam ſanguinem hauſit puluis
,, Semel mortui, nulla eſt Reſurrectio.

Hæc ea ſunt, eruditiſſime Solari, quæ de tuo perarduo Quæſito reſpondenda videntur: tu pro tua doctrina, & humanitate ſumma, corrige ſphalmata, meque de correctione moneas, meoſque conatus boni conſule, ac me ama. Dabam Patauij e meo Scalumnæ Muſeo Nonis Septembris M DC XLVII.

De Reſurrectione hominis, an poſſet eſſe naturalis quoad reunionem animæ cum corpore præſente ad eum diſpoſito. Cap. VI.

Patauini Gymnaſij Medico Theorico ſupremo Fortunio Liceto, Viro ſupra hominem, Fr. Leonardus Valentinus Prior S. Iacobi Bononiæ Auguſt. B. V. B. M.

LApide vno gloriantur Atlantes (Solino & Iſidoro teſtibus) Hexecontalithon vocant, tam diuerſis notis ſparſum, vt ſexaginta gemmarum colores in paruo eius orbiculo deprehendantur. Aeuum hoc noſtrum te vno LICETO vere Lynceo, & animato Lyceo gloriatur, in quo natura

Poſuit quicquid vbique fuit.

Pro

Pro cunctis ſufficis tu vnus Licetus, in quo ſparſa in alijs ornamenta vno veluti agmine conſiſtunt, & præſtantiſſimam virtutum omnium metropolim efficiunt. Hæc eſt tui gloria, mi Licete, vt nullius laudibus creſcat, nullius vituperatione minuatur. Bone Deus, Vir eximie, quam multa legiſti, quam multa ſcripſiſti? tam multa legiſti, vt aliquid tibi ſcribere vacaſſe miremur: tam multa ſcripſiſti, vt vix quidquam legere potuiſſe credamus. Docti omnes te Arbitrum eligunt, qui Iudicium feras de difficillimis Quæſitis: Tu vetuſtis das nouitatem, nouis autoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubijs fidem. Oedipum tuum conſulit Dauus meus de Reſurrectione hominis.

Reparet Deus eandem numero materiam, ex qua corpus Socratis formatum fuit, eiſdem numero diſpoſitionibus diſpoſitum, quibus diſpoſita fuit, quando Socrates mortuus primo fuit conceptus. Quæro, An Anima rationalis ſeparata Socratis poſſit viribus naturæ ſuo corpori reuniri. Si poterit quomodo Reſurrectio hominis erit abſolute, & ſimpliciter ſupernaturalis? Si non poterit, Quæro abſte rationem: Quum anima rationalis ſeparata naturaliter poſſit ſe facere illi corpori præſentem, & indiſtantem ab eo: facta autem indiſtans, non poteſt illi non dare ſuum eſſe formale humanum: Partibus autem eſſentialibus debite approximatis, & mutuam in ſeipſis cauſalitatem exercentibus, non poteſt non reſultare compoſitum. Vale ſupremum Decus. Bononiæ XII. Kal. Iunij M DC XLVII.

Reſp.

Reſp. Liceti. Hominis Reſurrectionem non eſſe vlla ex parte viribus naturæ poſſibilem, ſed ſimpliciter & abſolute ſupernaturalem. Cap. VII.

Cl. Viro Fr. Leonardo Valentino Auguſtiniano Priori S. Iacobi Bonon. Fortunius Licetus B. A.

SI par intellectus mei vigor eſſet, humaniſſime Valentine, tuæ ſummæ beneuolentiæ, qua me proſequeris; iam poſſem altiſſimi tui Quæſiti culmen ſuperare, ſicuti tuus amor inſignis in me videre ſe putat ea decora, quibus ornatum eſſe me non agnoſco; vellem tamen, vt tibi morem gerere valerem in propoſito. Proponam attamen animi mei ſenſa, tuæ iuſſioni parens. Vt autem appareat euidentius ratio Quæſiti, prænoſcenda nobis eſt Operatio naturæ in coniunctione Animæ cum corpore ad hominis integri phyſicam conſtitutionem. Profecto quum homo ſit eſſentialiter & vegetans, quod habet commune cum plantis; & animal, in quo communicat cum brutis; & homo, quo diſſidet ab vtriſque: Generatio naturalis, hominem integrum conſtituens, non conſiſtit in ſola participatione vel vegetalis animæ, quam indi materiæ certum eſt a matre; vel ſenſualis, quæ fętui communicatur a Patre; ſicuti late demonſtrat Ariſtoteles *a* non vno in loco: nec in adeptione ſolius animæ rationalis, quæ prout a vegetali, ſenſitriceque contradiſtinguitur, hominem integrum non conſtituit; quem perfecte conſtituit anima humana ex vegetali, ſenſitrice, rationalique in vnam numero formam totalem coeuntibus conſtituta; vt *b* alibi latius oſtendi. Quoniam vero vegetalis anima, & ſenſualis a parentibus inditur materiæ conceptus, a ſeipſis prius diſpoſitæ; ac in vtroque mune-

a 2. de gen. an. c. 3. & 4

b de ort. an. huma.

re

re gubernatis a motu cæleſtium corporum; docente ſ *c* Philoſopho, ſubcæleſtis mundi virtutem omnem actiuam phyſice gubernari a motu cæli. Quin etiam anima rationalis, quæ poſt vegetalem, & ſenſitricem aduenit extrinſecus a Deo, non autem a parentibus, vt ait Ariſtoteles; a Deo prouenit, & inditur materiæ diſpoſitæ, tanquam a primo mouente, non phyſico quidem, ſed tamen phyſice mouente in illa functione; quod aperte ſatis edocet Ariſtoteles, inquiens: *d Duplicia autem ſunt principia mouentia phyſice: quorum alterum non phyſicum eſt; non enim habet motus principium in ſe ipſo; tale autem eſt, ſi aliquid mouet, quod non mouetur, vt id, quod penitus eſt immobile, & quod omnium primum eſt*. & alibi: *e Quum autem mouens, in naturalibus quidem homo: in his vero, quæ a mente fiunt ipſa forma, vel contrarium ſit: modo quodam tres profecto cauſæ erunt; alio vero modo quatuor: ſanitas namque quodammodo eſt ars medendi, & ædificatiua forma domus: & homo hominem generat: præter hæc item cuncta mouens, tanquam omnium primum*. Ex quibus apparet manifeſte, primam hominis generationem eſſe mere naturalem, quia cauſæ illam promouentes omnes munere ſuo funguntur operando phyſice; nam primum parentes qui materiam fœtus diſponunt, diſpoſitæque partem animæ humanæ tum vegetalem, tum ſentientem impertiunt, ſunt agentia phyſica, & in iſtis muneribus agentia phyſice: cauſa præterea communis, corporea, gubernans iſtas ſecundas (nam *f* Sol, & homo hominem generat) cælum eſt, agens phyſicum, & agens phyſice; nimirum motu naturali; quo gubernari, & promoueri phyſice rerum omnium noſtratium generationes, clare docuit Ariſtoteles *g* non vno in loco: cauſa denique prima, & omnium vniuerſaliſſima Deus, in generatione hominis, agit phyſice, licet cauſa phyſica non ſit: vt forma-

c 1. meteo. c. 2.

2. de gen. an. c. 3.

d 2. phyſ. t. 73.

e 12. meta. t. 24.

f 2. phyſ. t. 26.

g 2. de gen. t. 56. & ſequentib. 4. de gen. an. c. 10.

maliter hominis generatio in vtero matris nihil habeat ſupernaturalis, at ſit omnino phyſica productio hominis ex materia phyſice diſpoſita, & forma phyſice indita ab agentibus omnibus phyſice operantibus. Modo ſi conferamus huic hominis alteram conſtitutionem in reſurrectione, quæ eſt reproductio hominis antea defuncti; hæc mere ſupernaturalis eſt, nullatenus naturalis; ad quam neque parentes concurrunt vlli, neque motus cæleſtes, neque materia phyſice diſpoſita; ſed purum eſt opus Dei ſupernaturaliter agentis, tum in creatione materiæ diſpoſitæ ex indiſpoſita, non vtens ad hoc opus motibus cælorum, nec vllis cauſis ſecundis: tum in vnione coniunctioneque animæ cum corpore, quam operationem molitur, vt agens ſupernaturaliter, non vt agens phyſice; nam ſicuti Deus Lazarum a mortuis reſurgere fecit,
h Ioan.11. *h pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam reſurrectionem*. Sic in fine mundi Deus itidem cum Maieſtate
i Matth.19. 34. *i* ſedens vt omnium Iudex ſupernaturalis *k* iubebit Angelis vnire Iuſtorum animas corporibus eorum ad gloriam, & Impiorum ad pœnam æternam. Immo quum
k Mar.13 Luc.21. etiam finis actionem omnem determinet, atque denomi-
l 2.de.an. t 49. net, *l* Ariſtotele doctore; quumque gloria perennis, & æterna pœna finis propoſitus homini ſit a Diuina Iuſtitia, non phyſicus, ſed mere ſupernaturalis; iam reſurrectio dici non poteſt vlla ratione naturalis; at eſt abſolute ſimpliciterque ſupernaturalis. Iam ergo, ſi placet, vt ais: *Reparet Deus eandem omnino materiam, ex qua corpus Socratis formatum fuit, eiſdem numero diſpoſitionibus diſpoſitam, quibus diſpoſita fuit, quando Socrates mortuus primo fuit conceptus: Quæro An anima rationalis ſeparata Socratis poſſit viribus naturæ ſuo corpori reuniri. Si poterit, quomodo reſurrectio hominis erit abſolute & ſimpliciter ſupernaturalis? Si non poterit, Quæro abs te rationem*. Rationem ego multi-

ti-

tiplicem adduxi dudum in meis libris olim editis *De Rationalis Animæ varia propenſione ad corpus*: & *De Anima ad corpus phyſice non propenſa*, quas ibi videre poteris; nec eſt vt eas prolixiori contemplatione nixas huc afferam. Sufficiet duas breuiter attingere; quarum alteram proponit Ariſtoteles, negans animæ ſeparatæ motum localem, dum ait: *m Præterea, quoniam videtur mouere corpus, rationabile eſt ijs mouere motibus, quibus & ipſa mouetur, ſi autem hoc, & conuertentibus eſt dicere verum, quod ſecundum quem corpus mouet, eo & ipſa: corpus autem mouetur ſecundum lationem: quare & anima mouebitur, ſicut corpus, aut tota, aut ſecundum partes tranſlata. Si autem hoc, & egreſſam iterum ingredi continget: ad hoc autem ſequetur, vt reſurgant mortua animalium*; quod conſequens deducit Ariſtoteles, tanquam impoſſibile viribus naturæ. Motus enim, quo ſeparata iam anima, denuo accedit ad corpus, & illud ingreditur, naturalis non eſt, ac phyſicus; at alterius generis, ac omnino ſupernaturalis ad imperium omnipotentis Dei, & Angelorum. Altera ratio eſt, quia anima naturaliter vnitur corpori, vt hominem in eſſe conſtituat, quæ conſtitutio finis eſt eſſentialis illius vnionis; quum autem iam ſemel hunc finem naturalem anima ſortita fuerit per primam vnionem in generatione hominis a parentibus, & a Deo phyſice agente peracta; quum habito fine, nullus amplius naturalis impetus ac motus habeatur ad eũ acquirendum; propterea rationalis anima poſt mortẽ hominis a corpore ſeparata, nullis naturæ viribus corpori per reſurrectionem denuo copulatur. Vnde concedere nequeo, quod addis, Cl. Vir, *Quum anima rationalis ſeparata naturaliter poſſit ſe facere illi corpori præſentem, & indiſtantem ab eo*; nam hoc aperte nuperrime negauit Ariſtoteles; & inde collegit, impoſſibilem eſſe mortuorum reſurrectionem. Cuius phyſica

m 1. de an. t. 41.

n 3.phyſ. t.1. ratio eſt, quia motus naturalis non ſolum *n* continuus
o 4.phyſ. t.118. eſt, ac interne tempore *o* continuo menſurabilis, Ariſtoteli: quum anima ſeparata, vt & Angelus *p* D.Thomæ,
p 1.p q.53. per tot. loco moueatur non continuo motu, neque tempore continuo menſurabili. Verum etiam maxime, quia motus phyſicus omnis competit ſoli mobili corporeo, diuiſibili, ac magnitudinem habenti; adeo vt omne mobile naturaliter ab alio per ſe ſit corpus; & omne mobile localiter
q 8.phyſ. t.30.35. a ſemetipſo phyſice, ſit corpus neceſſario *q* compoſitum ex parte mouente, ac ex parte mota, quæ corpus eſt
r tex.40. continuum, ac *r* diuiſibile; quapropter Ariſtoteles non
ſ 8.phyſ. t.46.& ſeqq. t.78.& ſequentib. alia ratione *ſ* demonſtrat Primum motorem eſſe penitus immobilem & a ſe, & ab alio, niſi quia eſt indiuiſibilis, impartibilis, nullamque prorſus habens magnitudinem, adeoque prorſum incorporeus. Quum igitur anima ſeparata ſit indiuiſibilis, impartibilis, abſque magnitudine, ac ab omni corporis commercio ſeiuncta; iam ea motu phyſico moueri non poteſt ſecundum locum, vt naturaliter valeat ſe facere præſentem corpori, & ab eo indiſtantem, a quo per mortem fuit omnino ſeiuncta. Quin etiam forma naturaliter non ſemetipſam iungit vlla materiei; ſed hoc officium eſt, munuſque proprium effectricis cauſæ, coniungere formam cum materia; nam ad for-
t 2. phyſ. t.28.&alibi paſſim. mæ differentiam definitur ab *t* Ariſtotele cauſa effectrix eſſe id vnde primum principium motus, & quietis; nimirum vnde forma conſtituitur in compoſito materiæ
u 2. phyſ. t.3.&ſeqq. iuncta, in quo eſt principium primum *u* mouendi, & quieſcendi. Modo in reſurrectione Cauſa efficiens reconiungens animam corpori, a quo per mortem ſeparata fuerat, non eſt ipſamet anima ſponte ad corpus accedens, at ipſemet Deus, vel per ſe, vel per Angeli, alteriusve miniſterium iſtam reunionem promouens; non quidem vt motor primus agens phyſice, ſed vt Deus omni-

ni-

nipotens glorioſus agens ſupernaturaliter ſupra naturæ leges; ita ſane per ſe Filio viduæ defuncto reſurrectionem iubens imperauit Dominus: *x Adoleſcens, tibi dico ſurge*: ita Lazaro quatriduano iam ſepulto, *y Lazare veni foras*: ita per Angelicum miniſterium in fine Mundi, *z Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa & gloria. Et tunc mittet angelos ſuos, & congregabunt electos ſuos a quatuor ventis, a ſummo terræ vſque ad ſummum cæli*. & apertius alibi: *a Quum autem venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes angeli cum eo: tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes: & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hædis: & ſtatuet oues a dextris, hædos autem a ſiniſtris: Tunc dicet rex his, qui a dexteris erunt venite* &c. Quibus Deus, tanquam iuſtus iudex, & rex omnium ſupremus, iubendo imperabit bonis vt ſecum veniant ad gloriam, improbis vt a ſe diſcedant ad pœnam æternam: Quum Deus in hoc ſeculo mundum phyſice gubernans, vt admonet *b* Ariſtoteles, non imperet iubendo, ſed vniuerſa moderetur ſuauiter, ad exigentiam & proprietatem naturæ rerum phyſicarum, vtens cauſarum ſecundarum miniſterio naturali placide. Quare cēſeo rationalem animam poſt hominis interitum a corpore ſeparatum, ad corpus iterum accedere non impetu ac motu naturali, ſed ſupernaturali iuſſione Dei, & miniſterio transnaturali Angelorum; ac eo magis, quo damnatorum animæ refugiunt vniri denuo corpori, cum quo maiorem pœnam poſt Iudicium ſe paſſuras agnoſcunt, electorum vero animæ ſuum ad corpus glorioſum, ſupernaturali dote donatum, naturalem non habent propenſionem vllam, ſed ſolum ſupernaturalem: ad corpus vero non glorificatum, ſed paſſibile, quale fuit amici Lazari, & filij viduæ, phyſicam habitudinem non obtinent,

x Luc. 7.
y Ioan. 11.
z Marc. 13. Matth. 24.
a Matth. 25.
b 7 Eudem. c. 19.

nec illi ſponte ſe ſe coniunxiſſent, niſi iuſſioni Dei parere debuiſſent; etenim, vt ait Ariſtoteles negans in puris naturalibus huiuſmodi reunionem animæ rationalis cum corpore: *c At vero neque beatum, quod non facile, ſed violentum. Si autem eſt motus ipſius non ſubſtantia, præter naturam vtique mouebitur. Laborioſum autem eſt & commiſtum eſſe corpori, non potens abſolui, & præterea fugiendum; ſiquidem melius eſt intellectui non cum corpore eſſe quemadmodum & conſuetum eſt dici, & multis placet*. & alibi: *d An omne non habens materiam indiuiſibile eſt: quemadmodum humanus intellectus, aut qui compoſitorum in aliquo tempore ſe habet. nam non bene eſſe habet in hoc, aut in hoc; verum in toto quoddam, quod optimum eſt, aliud ab eo exiſtens. Sic autem ipſa ſui ipſius intellectio per totum æternum ſe habet*. Quæ loca, noſtro propoſito conferentia mirifice, latius explicauimus olim agentes De Animorum immortalitate *e* ad mentem Ariſtotelis, vt inſpicere potuiſti.

c 1. de an. t. 49.

d 12. meta. t. 51.

e l. 3. c. 2. 4. 5. & 25.

Sic ergo mi Valentine, cenſeo reſurrectionem hominis eſſe ſimpliciter & abſolute ſupernaturalem, nulla vero ex parte phyſicam. Tu mea cogitata boni conſule, meique memineris in tuis ſacrificijs apud Deum. Vale. Dabam Patauij e meo Scalumnæ Muſeo VIII. Idus Iunij M DC XLVII.

De ſepulchri Ferrarienſis Inſcriptione Aenigmatica Quæſitum. Cap. VIII.

Præſtantiſſimo Patruo Fortunio Liceto
Fr. Io: Antonius Licetus de Padua Dominicanus S. D.

DVm legerem epiſtolas familiares M. Remigij Florentini Confratris noſtri, forte mihi occurrit illa, quam ipſe ſcripſerat ad Cæſarem Paueſium, in qua ve-

tu-

ſtuſtarum Inſcriptionum inuentores; & ænigmatica leguntur epitaphia; Quoniam vero ante illud ELIA LELIA CRISPIS olim tuo iuſto volumine ſatis explicatum, aliud Ferrarienſe ponitur, a Remigio tentatum quidem, ſed non omnino ſolutum; cuperem tuum de illo ſenſum, ſi per otium licet. Dicit autem ibi Remigius hæc ad verbum: *Sono ſtati poi alcuni altri, che nelle inſcrizzioni delle lor ſepolture, ò non hanno voluto eſſer inteſi, ò hanno voluto dar materia a gli huomini ingegnoſi d'eſercitare, & affaticar l'intelletto: & di queſta ſorte d'inſcrizzioni fu quella, che ſi troua in Ferrara nella Chieſa di Santa Maria del Va, nella Capella di Varani, ſopra la ſepoltura della Sig. Filippa Varana, che fu donna d'alto ingegno, & dotata di belliſſime lettere: Coſtei laſciò ſcritte ſopra la ſua ſepoltura certe parole ch'io non ho mai inteſe, & non mi ſon curato di perder molto tempo ad intenderle: & pochi, ò neſſuno, ch'io ſappia, è venuto all'intelligenza d'eſſe: & dicono coſi:*

D. M. S.

QVAE SVNT, PRO HIS QVAE NON SVNT, QVAE SI FVISSENT, PRO HIS QVAE CVM SINT NON SVNT, QVAE VIDENTVR ESSE, PRO HIS QVAE CLAM SVNT, IN CAVSA SVNT; VT QVOD ESTIS SITIS.

Ma acciò ch'io non paſſi coſi ſeccamente queſto luogo, e ne dica più toſto quel ch'io m'imagino, che quel ch'io ne sò, dico, che io credo, che queſt'ingegnoſa Donna voleſſe dire, che le coſe ſopraceleſti & increate, e la virtù occulta delle create, ſon quelle che danno l'eſſere all'huomo: Perche l'eſſere veramente non è ſe non d'Idio; perche l'altre coſe create non ſono, potendo non eſſere, & andando ſempre verſo il non eſſere. E dico

que-

queſto, perche Dio infonde l'anima nel corpo organizato dalla natura, la quale ſeruendoſi della virtù del Sole, e di quella che è nel ſeme dell'huomo, da l'eſſere all'huomo. Se queſta eſpoſitione vi piace, accettatela; e ſe non vi piace, laſciatela ſtare; percioche ancor io confeſſo, ch'ella ſia più toſto imaginata, che certa; e più preſto apparente, che vera. Et ho per opinione, che quando quell'Epitafio fuſſe vn berſaglio, e la mia eſpoſitione, vna freccia, che v'haueſſe andar di mira, ella darebbe diſcoſto parecchie braccia. hoc eſt: Fuerunt poſtea
„ quidam alij, qui in inſcriptionibus ſuorum ſepulchro-
„ rum, aut intelligi noluerunt, aut voluerunt præbere ma-
„ teriam hominibus ingenioſis exercendi, & fatigandi
„ intellectum: Et huius generis inſcriptionum fuit illa,
„ quæ reperitur Ferrariæ, ad D. Mariæ de Va, in ſacello
„ Varanorum, ſupra ſepulchro D. Philippæ Varanæ, quæ
„ fuit Mulier alto ingenio, & dotata pulcherrimis literis.
„ Iſta reliquit inſcripta ſuper ſuo ſepulchro quædam ver-
„ ba, quæ nunquam ego intellexi, & non curaui temporis
„ multum amittere ad eorum intellectionem hauriendam;
„ & pauci, vel nemo, quem ego ſciam, peruenit ad ipſo-
„ rum intelligentiam: & ita dicunt: QVÆ SVNT &c.
„ Sed ne ſicco pede prætercam hunc locum, & vt dicam
„ potius quod imaginor, quam quod ego ſcio de propoſi-
„ to: Dico, me credere illam ingenioſam feminam aſſe-
„ rere voluiſſe, res ſupercæleſtes & increatas, atque vir-
„ tutem occultam creatarum eſſe illas, quæ dant eſſe ho-
„ mini. Quoniam *Eſſe*, vere non eſt niſi Dei; quia res aliæ
„ creatæ *non Sunt*, quum poſſint *non Eſſe*, pergantque ſem-
„ per verſus ipſum *non Eſſe*. Et hoc ego dico, quia Deus
„ infundit animam in corpus organizatum a natura, quæ
„ vtens virtute Solis, & illa, quæ ineſt in ſemine hominis,
„ tribuit eſſe homini. Si hæc expoſitio vobis placet, eam
„ accipite; ſin minus, relinquite; nam etiam ego fateor,
eam

eam eſſe potius imaginatam, quam certam; & potius „ apparentem, quam veram. Et opinor, quando illud „ Epitaphium eſſet quidam Scopus, & mea expoſitio ſa- „ gitta, quæ collimaret ad illum, ipſam multis cubitis ab eo „ declinaturam. Hæc ille: cui quum ſua ſibi non omnino ſatisfaciant; audeo nunc ad tuam interpretationem confugere; quæ ſi non defuit Maguriani lapidis inſcriptioni, nec Eliæ Lelia Criſpis ænigmati non minoris obſcuritatis, arbitror nec huic Varanæ gripho defuturam. Rogo meo deſiderio, ac ignorantiæ conſulas in tanta caligine: precorque Deum Optimum te ſoſpitem ſeruet ad multos annos. Dat. Venetijs ex DD. Ioan. & Pauli Cœnobio Nonis Nouembris M D C X L V I.

Reſp. Liceti de tenebricoſa ſepulchri Ferrarienſis inſcriptione. Cap. IX.

Adm. R. P. Fr. Io: Antonio Liceto de Padua Dominicano, Nepoti ſuo Fortunius Licetus B. A.

Mirum non eſt, ſi non acquieſcis explicationi, quam attulit Epitaphio Varanæ Remigius, alioqui Vir eruditiſſimus in tua Prædicatorum præclariſſima Familia; quum nec Autori ſuo ſatisfecerit illa Griphi ſolutio. Dubio procul ænigma tenebricoſum eſt. Eius attamen interpretatio fortaſſe fuerit, Qua dicatur Erudita femina primaria ſibi cōdidiſſe, dum viueret, Epitaphium ænigmaticum inſcribendum ſepulchro ſuo: vel etiam aſſeratur, ænum eiuſmodi quopiam ab erudito viro iam defunctæ nobili doctæque matronæ compar poſitum fuiſſe. Quo quidem Epitaphio mortua femina primaria pœnis Purgatorij miſere cruciata, imploret enixe ſibi ſuffragia Miſſarum, eleemoſynarum, & precum apud Dei clemen-

tiam

tiam ab hæredibus, & amicis; animo ſuo recolens illud afflictiſſimi Iobi; prudenter ab Eccleſia poſitum in ore a Mortuorum, *b Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me*. Diſtinguitur autem Epitaphium quinque particulis, etſi cælatæ fuerint in ſilice ſeptem lineis allatis, interpunctæ comatibus, vt viſum eſt: at ad ſenſus integros ita legi debent:

a Off. def. noct. 3. l.
b Iob. c. 19

1 D. M. S.

2 QVAE SVNT, PRO HIS QVAE NON SVNT:

3 QVAE SI ESSENT, PRO HIS QVAE CVM SINT NON SVNT:

4 QVAE VIDENTVR ESSE, PRO HIS QVAE CLAM SVNT:

5 IN CAVSA SVNT, VT QVOD ESTIS SITIS.

In quarum ſane prima ternis illis interpunctis literis capitalibus, D. M. S.
non habet locum vulgata Gentilium explicatio, *Dis Manibus Sacrum*, quoniam hoc Epitaphium eſt Chriſtianæ mulieris in Eccleſia Catholica poſitum; non autem alicuius e numero Gentilium, qui Deos Manes coleret in Ethnico tumulo: Sed pro doctrina conditoris Epitaphij, ſub multiplici ſenſu legendæ ſunt ab illis characteribus deductæ dictiones ita

D.	M.	S
Defunctæ	Miſeremini	Succeſſores
Dilecti	Miſeremini	Saltem
Domitæ	Mortis	Sagitta
Domini	Manu	Stratæ
Diuitijs	Multis	Spoliatæ
Diuinam	Miſericordiam	Suſpirantis
Domeſtici	Miſerationem	Suppeditate
Deum	Memorem	Sperate
Diuitiarum	Miſſarum	Supplicationum

Il-

Illud enim hac in parte libuit efficere, quod Ariſtoteles admonet in diuinationibus ſomniorum euenire, vt quorum natura loquax, eos contingat aliquando veritatem maxime latentem enunciare; dicit enim: c *Valde degeneres homines prœuidentes ſunt, & recte ſomniantes, tanquam Deo non mittente: ſed quorumcumque quaſi loquax natura eſt & melancholica, multimodas viſiones vident. Eo vero, quod ſecundum plura & multifaria moueantur, aſſequuntur: ſicut quidam tota contendentes, rapiunt: nam quemadmodum & dicitur, Si multa iacias, alias aliud iacies, & in his hoc accidit.* Quare vix fieri poteſt vt aliqua propoſitarum non collimet, etenim hoc adagio ſignificat Ariſtoteles, in abditis & difficilibus, oportere rem ſæpius tentare, neque defatigari protinus, ſiquando parum ex animi ſententia ceciderit; futurum enim, vt iterum atque iterum periclitanti felicius aliquando cadat: non oportere griphi nodoſioris vnicam ſolutionem afferre, ſed multiplicem explanationem; quia quæpiam vna multarum, quin & non vna ſæpe ſcopum attigerit. Agit autem (vt hunc Ariſtotelis locum obſcuriorem explicemus) de melancholicorum ſomnijs Philoſophus hic, nullam illis hominibus proprie diuinationem attribuens, etſi nonnunquam accidat, vt quidam euentus ſomnijs illorum reſpondeant. Sed non eſſe mirandum; quum vitio naturæ plurima ac varia ſomnient, aliquando exiſtere caſus, qui forte pariter ſic eueniunt, vt eſt ab illis ſomniatum. Themiſtius hunc locum ita declarat: *Qui totum diem iaculantur, aliquando collimant, & præmium capiunt. Vetus adagium eſt, Si ſæpe iactaueris, aliquando venerem iacies. Idem de ſomnijs videtur, ſi quando id conſequitur, quod cui apparuerit ſecundum quietem.* Sunt qui cenſeant metaphoram ductam a ſagittarijs, non ab aleatoribus; nam & hoc ſignificat verbum Græcum, *Ballein*, quod vertitur, *Iacere*; iaciuntur

c de diu. per ſom. c.2.

Digreſſio de loco Ariſt. obſcuro.

enim taxilli ad luſum pariter atque ſagittæ ad ſcopum. Et ſane Leonicus ait: *d Et quemadmodum etiam, inquit, in prouerbio dicitur: Si multa proieceris, alias alium percuties, & aſſequeris. Si quis enim (verbi cauſa) multas iaculatus fuerit ſagittas, aliud & aliud aſſequi poteſt, & plures feras proſternere: quod ſi vnicam ſolum emiſerit ſagittam, aut quod intendit, non aſſequitur, aut ſemel tantum, & vnum aſſequi poteſt: Qui autem multa iacit (vt inquit Cicero) nonnunquam collimat, id eſt, aſſequitur, & tangit: ita in melancholicorum ſomnijs accidere cenſendum eſt; qui quum multa quietis tempore, propter enarratas videant cauſas, veriſimiliter quædam aſſequi & præuidere valent.* Attamen Cicero metaphoram ad vtrumque ſenſum retulit, aſſerens: *e Quis eſt, qui totum diem iaculans non aliquando collimet? Totas noctes ſomniamus, neque vlla fere eſt, qua non dormiamus; & miramur aliquando id quod ſomniamus euadere? Quid eſt tam incertum, quam talorum iactus? tamen nemo eſt, quin ſæpe iactans, Venerem non iaciat aliquando; nonnunquam etiam iterum, ac tertium.* Porro Veneris iactum in talorum luſu fuiſſe quondam feliciſſimum, palam arguit apud Suetonium Octauius Auguſtus in Epiſtola quadam ad Tiberium antigrapha, *Cœnaui, ait, mi Tiberi, quum idem acceſſerunt conuiuæ, Vinitius & Siluius pater, inter cænam luſimus ſeniliter & heri & hodie: talis enim iactatis vt quiſque Canem, aut Senionem miſerat in ſingulos talos, ſingulos denarios in medium conferebat: quos tollebat vniuerſos, qui Venerem iecerat.* Ad quem locum Sabellicus infit: *Canis iactus damnoſus eſt in talis, ſicut ait Propertius illo verſiculo:*

„ Damnoſi ſubſiliere Canes.

Nimirum tali minimum numerum habentes, ſeu potius monadem, principium numeri. *A Perſio dicta eſt Damnoſa Canicula*, numerus minimus in talorum iactu. *Senio* pun-

d de diuin. per ſom. c. 2.

e 2. de diuin.

punctus eſt in talis, qui interdum lucroſus erat: inde a Perſio dexter, hoc eſt propitius & felix iactus appellatur, interdum damnoſus; vt in hac Auguſti alea; nam quicunque iecerat Canem, aut Senionem (nimirum quaternis talis quatuor tantummodo puncta, vel ſex) *ille denarios ſingulos conferebat in medium. De Senione & Cane Martialis:*

„ Senio nec noſtrum cum Cane quaſſat ebur.

Videtur dici Senio a numero Senario. & mox: *Venus in talis ſummum numerum habet, & eſt feliciſſimus iactus: de quo ſenſiſſe Horatium autumat Porphyrio illo verſu:*

„ Quem Venus arbitrum dicet bibendi.

Ariſtoteles de Venere & Cane, qui ſunt in talis hæc ſcribit, digna annotatu in ſecundo de Animalibus: Quæ Veneres vocantur, intus aduerſæ ſibi poſitæ ſunt: quæ Canes, foris: quæ Antenæ ſupra habentur: ſitus talorum omnium talis eſt. Vnde conſtat Ariſtotelem de iactu talorum egiſſe, non autem ſagittarum in opere de diuinatione per ſomnia melancholicorum. Quod etiam conſtat ex ijs, quæ ſimiliter alibi ſcribit *f* Ariſtoteles: *Eſt autem difficile aut multa, aut ſæpe recte agere: veluti mille talos Coenſes iacere difficile eſt; ſed vnum, aut duo facile.* Sabellicus paulo ſecus hunc locum legit: *Myrias aſtragalos Chios iacere difficile eſt; ſed vnum, aut duo, facile.* Hunc luſum antiquorum, adeoque Suetonij dictum, & Ariſtotelicum illuſtraſſe videtur ipſe Rhodiginus inquiens: *g Nec illud indignum ſcitu: In talo figuras in cadendo vicem habuiſſe numeri. Monada enim ſignificans vocabulum Cyon, id eſt, Canis: Canicula vero & a Perſio dicta:*

f 2. cæl. t.63.

g l.20. c.27

„ Scire erat in voto damnoſa Canicula quantum
„ Raderet.

Propertius autem Canes nuncupauit eo verſiculo.

„ Semper damnoſi ſubſiluere Canes

Hic iactus etiam Chius dicebatur. Cous vero, qui & Hexi-

P 2 tes,

tes, Senio eſt, mendoſis parte hac Ariſtotelis Codicibus. (At mihi pariter eſt difficile, mille talos Coenſes vnico iactu ferre, cunctos Seniones: atque mille Chios, cunctos Monadas; quare probe poteſt vtroque modo legi textus Ariſtotelis) *binarius, & quinarius numerus in talis non erat, vt in cubis, hoc eſt teſſeris. Quin & in talario ludo numerus quidam Steſichorus dicebatur, qui non alius erat, quam Octonarius; quoniam eius Poeta Conditorium magnifico extructum impendio, ex octonis (vt Pollux inquit) conſtabat omnibus, angulis videlicet, columnis gradibus: Fuit in Himera Siciliæ ciuitate; alij in Catana ſcribunt. Euripides vero numerum continebat quadragenarium, quoniam videtur vnus fuiſſe Euripides Præfectorum quadraginta poſt triginta Tyrannos Athenis exactos. Fuit vero in Teſſerario ludo Midas factus, & quidem fortunatiſſimus. Venus conſurgebat ex talis quatuor iactatis; vbi diuerſam omnes oſtendiſſent faciem.*

At ad Epitaphium difficillimę ſolutionis redeamus; Cuius primas tres literas capitales interpunctas difficilius eſt interpretari recte, quam Venerem iacere talis, aut mille talos Coenſes; vnde non abre pluribus expoſitionibus tentanda fuit illarum intellectio, quia vix fieri poteſt quin vna collimauerit, vel etiam multiplex allatarum. Verum illæ tres poſtremæ, quæ Defuncta Monet Suos Domeſticos Miſerationem Suppeditare, Deum Memorem Sperare Diuitiarum Miſſarum Supplicationum Debitarum Mortuæ ſibi ab hæredibus & amicis debito gratitudinis, videntur alludere ad illa *b* Virgiliana, quibus Ilioneus Aeneæ ſocius orat Didonem & eius reginæ Proceres vt auxilientur Troianis naufragis, neve prohibeant eos ad litora Carthaginis appellere, dicens cum querimonia:

b 1. Aen. v. 343. & ſeqq.

„ Quod genus hoc hominũ? quæve hũc tam barbara morẽ
„ Permittit patria? hoſpitio prohibemur arenæ:

Bel-

„ Bella cient, primaque vetant conſiſtere terra.
„ Si genus humanum, & mortalia temnitis arma:
„ At ſperate Deos memores fandi atque nefandi.

Vbi Donatus: *Sperate: abuſiue, Timete: Memores* Deos; *nam ſi non ſtatim puniunt, ſunt tamen memores: Horatius: Raro antecedentem ſceleſtum deſerit pede pæna claudo.* Quin etiam Seruius ibidem: *Si temnitis arma mortalia, ideſt, à mortalibus illata, quæ fragilia ſunt; at, ideſt, ſaltem ſperate; ideſt, timete: ſicut etiam à Iuuenale ponitur. Aut rectra; quia duo dicit, quorum alterum ſperandum eſt bonis, alterum timendum malis; & in talibus meliori reſpondemus, potius dixit, ſperate, quam timete: nam boni debent ſperare Deos memores eſſe fandi, ideſt, liciti, & digni, de quo plura dicantur: & mali timere Deos memores eſſe nefandi. Sed quia potius voluit vt Dido pro fando, ideſt, licito præmia ſperet, quam pro nefando, ideſt illicito punitionem, dixit, Sperate Deos memores eſſe fandi atque nefandi; vt ſit clare conceptionem, nedum in accidentibus, ſed etiam in rebus ſignificatis: ideo autem minatur Deos vltores &c.* Sic in ſuo tumulo primaria & erudita femina Varana filios hæredes atque ſucceſſores amicos monet illis ternis literis Capitalibus D. M. S. Deum Memorem Sperare tum iuſtum retributorem bonorum pro *Diuitijs* erogatis in eleemoſynas pauperum, pro *Miſſarum* ſacrificijs celebratis, & pro *Supplicationibus* oblatis Deo, ſpeciatimque pro *Diuinis Miſſarum Sacrificijs* in ſuffragium defunctæ benefactricis: tum etiam iuſtum vltorem ingratitudinis metuere pro neglectis eleemoſynis, & Sacrificijs, & Orationibus in auxilium mortuæ. Sed pluſquam ſatis de ternis Epitaphijs literis D. M. S. prima linea contentis.

QVAE SVNT, PRO HIS QVAE NON SVNT: Hac ſententia deſignatur ænigmatice deſiderium defunctæ vnum illud eſſe vt ab amicis erogentur diuitiæ paupe-

pe-

peribus, celebrentur Miſſæ, precesque ſupplices offerantur Deo & Sanctis interceſſoribus, quorum nullum poteſt ipſa facere, ad æternæ gloriæ conquiſitionem. *Quæ ſunt:* nimirum orationes precum, eleemoſynæ, Miſſarum ſacrificia, *quæ ſunt* & actu, & in actiua poteſtate viuentium amicorum, & hæredum: *quæ* perſonæ quoque *ſunt* in mundo viuentes: effundantur, erogentur, & celebrentur, tum *pro* conquirendis gratijs liberationis a pœna Purgatorij, & conſecutionis æternæ requiei, perpetuæ lucis, gaudijque gloriæ beatificæ; *quæ* bona *non ſunt* adhuc in defuncta Purgatorio detenta, ſuffragiorum indiga; nec in illius poteſtate actiua, quum nullas edere valeat operationes meritorias ipſi ſibi: tum *pro*
i cap. 10. mortuis ipſis, qui *non ſunt*; dicente Iobo: *i fuiſſem, quaſi non eſſem, de vtero tranſlatus ad tumulum*. Vnde propoſitæ ſententiæ ſenſus geminus eſt: vnus quidem, *Quæ ſunt*, ideſt preces, eleemoſynæ, Miſſarumque ſacrificia, *quæ ſunt* in poteſtate viuentium meorum amicorum, ſucceſſorumque, rogo vt ab ipſis offerantur Deo *pro his quæ non ſunt*, nempe pro comparandis mihi gratijs tam liberationis a pœnis Purgatorij, quam adeptionis æternæ gloriæ; *quæ* gratiæ *non ſunt*, neque actu in anima defunctæ purgationem ſuſtinentis, neque in eius actiua poteſtate, ſicuti ſunt in actiua poteſtate viuentium illas mereri valentium bonis operibus. Quem ſane ſenſum aperte ſatis innuere Damaſcenum apparet, integrum caput
*2 de orth. Fid. c. 28. afferentem in hæc plane verba: * *De ijs, quæ non ſunt in nobis. Eorum, quæ in nobis non ſunt, quædam habent occaſiones, ideſt cauſas, ex ijs, quæ in nobis ſunt, vt retributiones actionum noſtrarum, in præſenti, & in futuro ſeculo. Reliqua vero omnia diuina ex voluntate pendent; nam generatio omnium, ex Deo eſt: corruptio autem, ob noſtram prauitatem, ad ſupplicium, & vtilitatem inducta eſt. Deus enim mortem*
non-

non fecit, neque delectatur in perditione viuentium: per hominem autem mors magis, hoc eſt per Adæ tranſgreſſionem, ſimiliter & reliqua pœnæ. Cetera vero omnia in Deum referenda. Nam & generatio noſtra, conditricis eius virtutis eſt: & permanentia noſtra, eius continentis virtutis eſt: & gubernatio noſtra prouidentis eius virtutis: & æterna bonorum fruitio, bonitatis eius ijs, qui cuſtodiunt id ſecundum naturam, ad quod creati ſunt. Alter autem, *Quæ ſunt*, ideſt, perſonæ viuentes, in hoc ſeculo exiſtentes, orent Deum ſupplices, eleemoſynas egenis elargiantur, Miſſarumque ſacrificia celebrent, celebrareve faciant *pro his quæ non ſunt*, hoc eſt, *pro* animabus perſonarum defunctarum, *quæ non ſunt* amplius in hac vita mortali, quæ viuentibus eſſe k eſt Ariſtoteli: k 2. de an. t. 37.

QVAE SI ESSENT, PRO HIS QVAE CVM SINT NON SVNT:

Geminus eſt item huiuſce ſententiæ ſenſus, correſpondens duplici propoſito; primus refertur ad gratias obtinendas, alter ad animas defunctorum: Dixerat gratias gloriæ, quietisque perennis in defuncta cruciata pœnis Purgatorij, non eſſe: dicit in præſentia; *Quæ* quidem gratiæ lucis æternæ, gloriæque cæleſtis, *ſi eſſent* in anima defunctæ, *pro his quæ cum ſint non ſunt*, nimirum cederent in benefactorum vtilitatem; nam anima de mortuæ pœnis liberata, & gloriam adepta, memor accepti beneficij Deum exoraret *pro* benefactorum ſuorum bonis atque proſperitatibus, diuitijsque mundanis; *his, quæ quum ſint* in bonorum mortalium genere, *non ſunt* tamen abſolute bona: quin & *pro* benefactorum ſalute, gaudijsque cæleſtibus; *quæ cum ſint* in ſe, ac in Deo, ſiue in Diuina poteſtate, *non ſunt* tamen adhuc in illis viuentibus, eiſdem pro præmio bonarum actionum collata. Secundus ſenſus eſt, *Quæ* perſonæ, ſiue animæ defunctorum

ſi eſ-

ſi eſſent in gloria cæleſti, condigna rependentes gratijs
acceptis, exorarent Deum optimum *pro his* perſonis
amicis, *quæ cum ſint* adhuc in hoc ſeculo, mortuorum
memores, *non ſunt* tamen abſolute: Quo ſenſu reſpexit
l 7 de Rep. Autor Epitaphij dogma *l* Platonis aſſerentis, homines in
antro mundi viuentes vitam mortalem non eſſe vere en-
tia, ſed vmbras entium; ſolumque vere entia dici natu-
ras incorporeas, procul ab omni contagione ſegregatas,
in intelligibili mundo degentes, ſolaq. forma pura conſi-
ſtentes; quum materia, propter priuationis maleficæ con-
m 1.phyſ. tagem, quæ ſemper ad maleficium *m* tendit, hoc eſt ad
t.80. corruptionem, cauſa rebus eſt, quibusque ineſt, vt non
n 7.meta eſſe *n* poſſint, adeoque vt aliquando *non ſint*; nam om-
t.53. 12.meta. nis potentia phyſica, quæ non reducitur ad actum, fru-
t.30. ſtra eſt; *Deus autem, & Natura nihil fruſtra faciunt*, Ari-
o 1.cæl. ſtotele *o* doctore. Sic ergo viuentes homines mortales,
t.32. *quum ſint* in mundo ſenſibili, *non ſunt* abſolute, quia non
inter entia vera in mundo intelligibili ſine materiæ labe,
ſed entis vmbræ degentes in antro Platonici mundi cor-
porei: propterea que defuncta pollicetur, vbi fuerit exu-
ta penitus materialium delictorum culpis, adeoque in
vere entium genere purgata prorſus ab omni contagio-
ne corporea, ſe pro benefactoribus acturam paria.

QVAE VIDENTVR ESSE, PRO HIS QVAE CLAM SVNT:

In iſta ſententia proponitur efficacia bonorum operum à mortalibus effectorum pro defunctis: *Quæ videntur eſſe*, nimirum tum Diuitiæ viuentium erogatæ pro mortuis in vſus pios eleemoſynarum, & ſacrificiorum: tum etiam preces atque ſupplices orationes ad Deum, & Sanctos interceſſores pro animabus, quæ purgantur: *videntur eſſe*: Miſſæ quidem, & eleemoſynæ, preceſque, quia ſunt opera ſenſibus conſpicua, & euidentia: diuitiæ vero in

elee-

eleemoſynas & ſacrificia Miſſarum eroganda, quia de ſe bona non ſunt abſolute, neque mala, ſed indifferentia; quum cedere valeant, tam in bonum, quam in malum vſum; & omnia denominare a fine iuſtum ſit; vt ait * Ariſtoteles. Quin & diuitiæ de ſe bona realia non ſunt, ſed apparentia tantum; Ita D. Paulus: *p Quæ videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna ſunt.* Vnde iuxta præceptum hoc Apoſtoli, Defuncta cordata monet hæredes ac ſucceſſores ſuos, vt erogent diuitias bonaque temporalia, ſibi relicta, pro comparandis bonis æternæ gloriæ, gaudijsque felicitatis æternæ, quæ vere bona ſunt, ſed clam & abſcondita, quæ non ſenſu percipiuntur vllo, ſed ſola fide; *Eſt autem fides*, vt ait idem Apoſtolus, *q ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium*. Simulque monet eximia defuncta, vt perſonæ viuentes hanc vitam mortalem, *quæ r* Platoni *videntur eſſe*, non autem vere ſunt omnino, precentur Deum, eleemoſynas erogent, Miſſarumque ſacrificia celebrari curent *pro his* animabus defunctorum, *quæ clam ſunt* degentes in tenebris Purgatorij, ſimul & abſconditæ viuentibus, quos latet, vbinam ſint.

* 2. de an. c. 49.
p 2. Tim. 4.
q Hebr. 11.
r 7. de Rep.

IN CAVSA SVNT, VT QVOD ESTIS SITIS.

Affert his erudita femina defuncta neceſſitatem & obligationem, qua tenentur viuentes, amici maxime ac hæredes, orare pro mortuis, & eleemoſynas erogare pauperibus, & Miſſarum ſacrificia celebrare in eorum ſuffragium: quia prædicta *Quæ videntur eſſe*, nempe diuitiæ relictæ a defunctis maioribus, *in cauſa ſunt vt* vos viuentes *ſitis quod eſtis* nimirum diuites; vnde tenemini partem illarum diuitiarum, veſtris vſibus neceſſarijs & commodis ſuperabundantem erogare in eleemoſynas, & Miſſarum celebrationem, pro ſuffragio maiorum veſtrorum, qui diuitias iſtas vobis comparauerunt atque reliquerunt,

etiam forte cum aliqua culpa, cuius pœnas luunt in Purgatorij flammis propter vos, quos diuites efficere quomodocumque ſatagerunt. Quin etiam, *Quæ videntur eſſe*, hoc eſt, animæ maiorum veſtrorum, *quæ* vobis oculis eſſe non conſpiciuntur, ſed *videntur eſſe* per fidem, quia creditis eas extra corpora ſuperuiuere; quum vos genuerint, *in cauſa ſunt vt ſitis quod eſtis*, nempe viuentes; adeoque tenemini tantorum beneficiorum memores eſſe; quamobrem & pro illis animabus, quæ vos genuerunt, vobis tribuentes ipſum eſſe ſimpliciter: quæque vos diuites effecerunt, ac reliquerunt, vobis tribuentes bene eſſe, & commode eſſe, tenemini dico pro ipſis aſſidue preces offerre Deo ſupplices & Sanctis intercesſoribus, quo liberentur a pœnis: eleemoſynas pauperibus erogare, quo requiem conſequantur æternam: & Miſſarum ſacrificia celebrare, quo recipiantur in gloria perennis beatitatis. Sic igitur cogita, Nobilem & eruditam feminam Varanam, de ſepulchro, ſiue de Purgatorij tenebroſis ardoribus, alloqui ſuos affines & amicos:

D.	M.	S.
Dilecti	Mei	Saltem
Defunctæ	Miſeremini	Sepultæ
Deum	Miſericordem	Supplicantes
Dicentes	Miſſarum	Solemnia
Dantes	Mendico	Subſidium.

QVAE tria bona opera, Precum Sacrificiorum Eleemoſynarum, SVNT in poteſtate veſtra, ſucceſſores & amici mei: tenemini que ipſa peragere PRO HIS gratijs a Deo mihi comparandis, QVAE NON SVNT, nec actu in me, nec in poteſtate mea. QVAE gratiæ beatitudinis & gloriæ; SI FVISSENT iam mihi veſtra beneuolentia ſimul & gratitudine comparatæ, PRO veſtris perſonis HIS QVAE QVVM SINT in mun-

mundo corporeo, velut in antro Platonico, NON SVNT abſolute; quia tendunt per mortalitatis conditionem ad non eſſe, in me conſiſterent, quæ pro veſtra ſalute Deum efficacius deprecarer. Tenemini vero pro me diuitias, quas ego reliqui vobis, in pauperes eleemoſynis erogare, ac in Miſſarum ſacras celebrationes; quia diuitiæ meæ, QVAE VIDENTVR ESSE, quum bona ſint, non abſolute realia, ſed apparentia, PRO HIS QVAE CLAM SVNT, bonis nempe ſpiritualibus, ſenſum effugientibus, mihi comparandis à vobis in pios vſus in mei ſuffragium erogari debent; quia meæ diuitiæ iſtæ IN CAVSA SVNT VT QVOD ESTIS, SITIS, viuentes nimirum opulenti, & bona opera peragere valentes.

Ita cenſeo poſſe tenebricoſum Epitaphium Varanæ declarari. Tu vero de Griphis intelligendis ne ſis ita ſolicitus: verum incumbe ſtudijs Theologiæ ſerijs; & interim Orationibus & Sacrificijs benefactores tuos, tam viuentes, quam vita defunctos, iuuare ſatage. Vale. Dabam Patauij e meo Scalumnæ Muſæo Pridie Idus Nouembris M DC XLVI.

De morborum enormi cataſtrophe Quæſitum. Cap. X.

Magno Philoſophiæ & Medicinæ Præſidi Viro Illuſtriſſimo D. Fortunio Liceto Sebaſtianus Baldus S. & F.

A Philoſophia olim habui, vt te aliquoties interpellarim, ac veluti tectus cortina ipſius Apollinis, ego quoque aſſiderem cum Viris ſapientibus & Illuſtriſſimis nominibus; id etiam habui à Theologia, ſi Dijs placet. Nunc linguarum intemperies vulgique dicacitas, vel me

inuitum propemodum ſiſtunt coram te ipſo ad cauſam dicendam. Olim tu Ariſtotelis Magiſtri genius, nunc Hippocratis habitus es, dum Medicum agis in ſupremis Exedris Patauij, immo in Orbe Orbis Magiſtrum; ab Ariſtotele in Hippocratem digreſſus, non ea tamen verſura, quæ vnum obliterarit relicto altero, ſed qui potius ſuſtineas vtroſque ſancto ac inuiolabili fœdere, vt non minus certe ſis nunc Hippocrates, quam ſis nunc etiam fuerisque ſemper Ariſtoteles. Dolet Vir Cl. Medicina funeſtum ſibi euentum deputatum, refuſo in eam obitu, qui nuper contigit R.P.Mag.Ioan. Baptiſtæ Gatti, viri Religioſi & amici; ſed maxime dolet Medicus, cui vulgus eam ob rem mouit arietes, ſed in caſſum vti ſpero; nec timeo, quanquam bis, nedum ſemel, immo ſi plus quam ipſe Cato cauſam dicere cogar; qui, vt de eo narrat * Plinius, quadragies quater cauſam dixit, nihilominus ſemper ſui ſimilis, ſemper Cato fuit, & vt verbo dicam, ſemper abſolutus. En rei ſeriem, & veritatem, a me diſtincte & per partes explicatam. Ergo Tibi Iudicium defertur, Hippocratis genuina ſoboles.

* lib. 7. cap. 27.

Erat is Pater ætatis 48. annorum, temperamenti calidi & humidi, habitus corporis craſſioris, fereque athletici, ſed imi ventris præcipue, qui prææltus, carnoſus, pinguisque admodum fuit; quare naturæ motu non inutile, ob quandam ſanguinis exuperantiam, aſſueuerat per hæmorrhoidas ſanguinem expurgare præcipue ad veris initium, autumnique tempore; fluxeratque ſibi nuper huiuſmodi ſanguis ante ipſius morbi aggreſſum, tum in morbi ingreſſu aliquoties, vt ante ſolebat. Studijs literarum impenſe deditus, huiuſmodi otium laudabiliter tranſigebat: noſti virum ex mente, cui bona anima in ſortem data fuerat, & cui tu ſemel in Quæſitis reſpondiſti. Exinde melancholiæ & bilis prouentus quiſpiam ei

in

in corpore genitus, ſorores geminæ, quæ viros præſtantes in doctrina, quodam veluti ſatellitio comitantur, iuxta Ariſtotelis & Platonis edicta: ſed & acceſſio facta ob animi quoſdam angores, quibus veluti ſpinis humanum Cor plane configitur, quibuſque animus eius mœrebat amplius. Is peregre profectus, per omnem quadrageſimam concionatus eſt, rurſumque Genuam ſoſpes ſatis ac vegetus petijt, immo melior ſeipſo redditus, ac nitidior, vt Celſi *a* loquar ingenio. Vix a reditu intercurrerant octo vel decem dies, quum appetitus imminutione ſatis clara impetitus cibum auerſari incœpit adeo, vt ſenſim ſymptomate augeſcente, vix obſonium foret vllum, quod eius linguæ adblandiri poſſet, quantumuis Apicij condimenta, & gulæ irritamenta quæque obijcerentur. In hoc ſtatu perennabat ventriculi appetitio, quando nocte intempeſta, dolore, quem ab affecto huius nominis inteſtino Colicum vocant, repente captus eſt. Sæuijt quam maxime dolor, tum ob doloris colici vehementiam, quæ atrox plerumque eſſe ſolet; tum quia a pluribus annis nondum adhuc deſierat intercurrere huiuſmodi dolor, qui partem ipſam toties laceſſitam debiliorem reddiderat: immo quod mirandum etiam videbatur, habere ſuas acceſſiones ac præſtitutas reuerſiones; nam ſingulo quolibet quinquennio intra quindecim annos plus vel minus, ex quo primum Parmæ dolorem ſenſit inteſtinis adactum, dum Regentis, vt aiunt, munere ibidem fungeretur, expleto quinquennio ad D. Agathæ, vbi Præſes degebat inter ſuos Religioſos, adſimili dolore & ſatis ſæuo captus fuit, & a me ipſo curatus etiam. Denique rurſum expleto alio quinquennio ferali inſultu poſtquam diu doluiſſet, alijſque ſymptomatibus fractus, nondum ſenex, adhuc intra ipſam virilitatem, vltimam vitæ lineam duxit. Equidem mirabar alias

a lib. 2. c. 2.

ſcri-

ſcriptum fuiſſe ab Hippocrate lib. de intern. affectionibus, voluulum repetitiones ſuas facere poſt duos annos; alibi vulgatum eſſe ab eodem, quoſdam alios morbos, alios poſt ſeptem, alios poſt quatordecim annos recurſus habere ſuos; quemadmodum ſcribit Dictator lib. 2. de morbis. Sed hæc miſſa facio, & redeo ad hiſtoriæ ſeriem & narrationem.

Annus erat in florentiori ſui parte atque amœniore, quando ſcilicet vernat ipſum tempus, ipſo menſe Maio, qui menſis eſt Corculum ipſius anni. Ergo dum ſymptoma doloris nocte illa ſæuiret, ſtatim dolori prouiſum clyſteribus anodynis, alijſque, quæ abdomini applicita eundem mulcent ac leniunt, quibus ſubinde repetitis a duabus horis elapſis, euanuit ſymptoma, non tamen vltra inducias itum eſt; enim vero non integre fluxerant tres dies, quum dolor repetijt non minus certe atrox ac ferox; cui quum eadem plane linea occurſum fuerit, obſtinatis viribus pugnabat tamen, nec de ſtatione ſua dimoueri potuit. Igitur ad maiora properandum fuit quæſitis ſuppetijs, ideoque leniens medicamentum vt aiunt, exhibui hac ipſiſſima formula:

„ ℞ *mell. roſ. ſol. vncias iij. ſyrup. roſ. ſol. vnc. ij. in decoct. cha-*
„ *mæm. aneth. beton. q. ſ. decoquantur fol. ſen. cor. opt. drach. ij. f. p.*

Statim citata aluus integre ipſa reſpondit, nec citra debitam menſuram, fuſis excrementis pituitoſis, quibus tamen portio aliqua tum bilis, tum melancholiæ intermiſta
l. 2. aph. 17 erat; *oſtenditque ſanatio*, vt ait Hippocrates, ex artis norma præſcriptum illi medicamentum fuiſſe; nam deſijt a pharmaco dolor; licet illa ciborum ſatietas adhuc vigeſceret, cibis plane cunctis aduerſa, ipſique adeo præpotenti vino, quod Cor hominis exhilarat, Deique etiam, vt ait Scriptura. Poſtridie a pharmaci hauſtu ſecuta ſunt ſerapia, quæ per pluſculos dies debuit aſſumere ad co-

ctionem, viarumque apertionem moliendam, iuxta Hippocratis reſcriptum, *Oxymellite ad duas tertias, vnaque ex ſyrupo de citri corticibus inuicem admiſtis*; coctioque feliciter iuit; nam vrinæ illæ cruditatis feraces antea, in coctionem ſatis inſignem eruditæ fuerunt; quod ex earum colore, ſubſtantia, contentiſque præclare conſtitit. Sed neſcio quomodo, dum forte a viro nobili & amico prandio excipitur, habuit denide fomitem, quo dolor ille repetijt, non minori ferocia atque ſæuitia; non quidem ob gancam ingluuiemque; nam ventriculus adhuc appetitus expers, cibos auerſabatur, potumque refugiebat. Quare ab experientia exhibiti antea pharmaci, & quia iam vrinæ concoctæ fuerant, audentius iui ad expurgandos humores, promptiores redditos ab artis ope, repetito eodem medicamento; cui tamen additum diaphænicon, ſiue ex dactylis confectum medicamentum trium drachmarum pondere cum dimidia; & vitato agarico, vt pote inteſtinis ipſiſque ventriculo noxio: 2. aph. 9.

℞ ſyr. roſ. ſol. vnc. ij. mel. roſ. ſol. vnc. iij. in decoct. chamam. anethi, fœniculi q. ſ. inf. ſol. ſen. corr. drach. ij. elect. diaph. drach. iij. s. f. p.

Subſecuta eſt exinde lenis faciliſque excrementorum euacuatio non abſimilis illi, quæ primum antegreſſa fuit; ideoque & contulit vehementer, adeo, vt in poſterum non amplius redierit dolor, nunquam alias reuerſurus. Sed appetitus indies ſemper elanguit, vt plane iratus Pater capere nequiret qui fieri poſſet, vt detracta ſaburra duabus iam vicibus, obſeruata viuendi formula, alijſque rebus non naturalibus ad mediocritatem redactis; nihilominus tamen adhuc refractaria illa appetitio perſiſteret inuicta ſemperque pugnax. Quare quum certo colligerem, corpus adhuc ſcatere humoribus, & plane exundare, arbitrabar etiam aliunde ad ipſum ventriculum

lum humores fluere identidem, ob ipſius quandam intemperiem frigidiorem, quæ ſimiles prolectaret ſuccos, impellente tamen partium earum vi, quibus robur maius ineſt, maiorque exinde nobilitas; quum hoc plane ſit a natura conſtitutum, vt partibus nobilioribus vim maiorem indiderit, qua in minores partes onera infeſtantium ſe humorum remitterent; quemadmodum maiores faciunt ac viri nobiliores, qui oneribus Reipublicæ a ſeipſis excuſſis, alligant minoribus ac plebeijs hominibus, in ea Reipublicæ forma, quam Ariſtoteles *oligocratiam* dixit, apteque in primis explicatur a doctiſſimo viro Ioan. Manardo in ſuis medicis Epiſtolis. lib. 11. c. 2.

Voluiſſemque ideo adhuc per *epicraſim* humores illos extergere, ſcoriamque eorum abijcere, repetitis pilulis ex hiera ſimplici Galeni; ſed quum ſemel præſtitum id fuerit innoxie, deuoratis ijſdem ad ſcrup. iiij. vixque citata bis aluo, alias ferre medicamenti viciſſitudines detrectauit Pater, nec proſequi amplius voluit.

Secutis diebus eadem ſemper via inceſſum, nec ventriculus vllum habuit vnquam appetitus ſaporem, vt ad guſtum loquar Tertulliani; quum cetero qui nulla eum febris detinuerit, niſi in poſtremum ipſius vitæ diem & decretorium: habuit enim pulſus ſemper æquabiles & in rithmo conſtantes; lotia potius aquea & tenuia, quam eſſent aut valde rubra aut flaua nimis. Denique nulla in eo ſitis fuit, nullus in corpore calor torridus, ſed mitis immo & comis ſemper; linguam ſolum habuit lentore quodam viſcidoque humore, ſed albidiori quodammodo infuſcatam, citra ſitim tamen vllam, vel oris amaritiem. Hinc factum, vt ſi doloribus vexatos dies excipiamus, intra menſis ſpatium, quo Pater elanguit, vix in lecto decubuerit ipſe, ſed immo ſeipſum exercens, identidem conabatur hanc ipſam humorum prauitatem

excu-

excutere, iam præpurgato corpore iuxta Medicorum edictum ac ſanctionem. Hoc pacto, vt dixi, proceſſit adhuc Pater per decem ferme dies, quando peracto ſacro, vt de more etiam eo in ſtatu faciebat, corpore ad ſalubritatem exercito, ferculum ſibi iuſſit parandum ad prandium ex herbis quibuſdam emollientibus, aluumque proritantibus, vt liberius flueret in dies aluus: Id quum præſtitum, a quatuor ferme horis citato curſu ſoluta eſt in diarrhæam, quæ octonis vicibus finita, ſed ſine vllo ſymptomatis ſigno bilioſa effudit tenuiaque, non vt antea pituitoſa & craſſitudinis plena. Sed ad horæ vnius periodum ſtatim inſecutus eſt Teneſmus, & implacabilis quædam deſidenti cupiditas adeo frequens atque ſolicita, vt per reliquum diem noctemque inſequentem ad minimum ſeptuagies, vel etiam octuagies e lecto exilierit ſeceſſus cauſa, ſed irrito ſemper & inani conatu.

Aduentante mane, nondum adhuc deſierat irrequietus ille vrgensque ſtimulus ſecedendi; immo per diem iouis noctemque eius quæ ſecuta eſt (erat enim dies mercurij, quum primum aluus eius fuſa fuit in diarrhæam) perennauit: præſcripti clyſteres lenientes partim, partim etiam ſoluentes flatus, aliaque etiam exterius apparanda dictaui, quæ æger tot clyſteribus feſſus, noluit admittere: Quare nec reſtitit Teneſmus, ſed aggreſſus repetebat identidem. Vnde rebus omnibus penſitatis, die veneris diluculo illuceſcente, pharmacum dulce propinandum iuſſi, ſcilicet ex manna conditum cum ſyrupo roſato ex melle ex roſis ſolutiuis, diſſolutis in iure vitulino:

℞ ſyr. roſ. ſol. vnc. iij. mann. electæ, mel. roſ. ſol. an. vnc. j. fol. ſen. corr. drach. j. s. excoquantur, & diſſoluantur in iure. »

Aluus fuſa eſt ſane feliciter, largiterque cum miſcella variorum humorum, ſine vllo ſymptomatis ſigno, immo

cum inſigni tolerantia atque vtilitate, quam ipſe æger ampliſſimis verbis; coram Patribus veluti admirabundus teſtatus fuit: delituit enim teneſmus, nec aggredi amplius auſus, niſi in noctem quam cæteroqui pacatiorem habuit, non niſi paucis vicibus interpellatam. Immo, quod mirandum, ad oblatos cibos cupide ſe habuit in cæna die illa veneris. Sed vix illuxit ſpes illa ſalutis, vt ſubito fere euanuerit aduentante ſabatho, & , vt ait ille,

„ *A pena vidi il Sol , che ne fui priuo* .

A prandio enim viſus eſt anxius eſſe, & quaſi corporis mole prægrauatus, pulſibus ab illo conſtanti rithmo diſceſſis, & vrinis etiam variantibus, ſatisque perturbatis etiam; quare cænam præſcripſimus tenuiorem, vinumque interdiximus ſtatim; iuſſo ad primum mane iuſculo ex herbis refrigerantibus parato, cum conſerua de acido citri, vt ſic febris æſtus remitteret, & ſi qualitas quæpiam mali moris latitaret, etiam remolleſceret. Non ſe exſeruit ad noctem febris; ſed ad ipſam dominicam diem furijt, mouitque catapultas omnes ad expugnandam vitam; nam ad diluculum eius diei pulſus inueni ſatis obſcuros, & aliquando intermittentes. Sed ab oculis adſpectu toruis efferisque, collegi in capite adeſſe labem quampiam, quæ quum ſe poſtea explicaret in delirium fere continuum, tandem ad meridiem obijt Pater, migrans ad Factorem ſuum. Cadauere poſtridie exenterato, nulla labes in viſceribus reperta, niſi quod Cor ipſum flaccidius ac molliuſculum inuentum fuit: in ilijs externæ quædam maculæ liuidæ; præceſſerantque vibices in cruribus & brachijs in ipſo mortis agone, intermiſtæ vario colore, quæ poſt obitum euanuerunt. Ex his concluſum morbum aliquid in ſe diuini habuiſſe, naturamque ei fuiſſe innoſcibilem, & pene dixerim mirabilem, ſuffragantibus alijs medicis meæ opinioni, qui ad conſilium fuerunt

runt vocati, plane iuxta dictum illius; *Contra malum mortis non eſt medicamen in hortis.*

Protuli fideliter omnem hiſtoriam morbi, & exhibita pharmaca omnia, in quæ tamen ſæuitum amplius eſt, quam dolor ille in eum Patrem antea ſæuierit; iſtud eſt ingenium vulgi, vt ſemper damnet quod ignorat, ſemper laceret diſcerpatque; Hic certe mihi

„ *Strepitus ferali carmine bubo*

& funerea voce inconditaque funera multiplicat:

„ *Quot cadis acervos Drancis dextra dedit?*

Sed clamitent ad rauim vſque, non ideo exhorreſco; ſed immo imperterritus maneo; quum vel timidos quoſque medicos potuiſſent impellere ad pharmaca illa porrigenda concurſus illi fœderaque multarum rerum, quæ repetitas illas purgationes poſcebant; immo vrgebant etiam: Si naturam poſcis, en præſto eſt illa; nam habitus tum externus, tum internus ipſius Patris non refragabatur, non ætas, non aſſuetudo ad pharmaca, quibus aſſueuerat olim, non reliqua. Si anni tempus, ridebat ille aduentu Veris, quod iam adoleuerat in menſe Maio, iamque etiam maturuerat inchoante Junio. Reliqua omnia, quæ aggregarant humores multos; fuerant appendenda.

Dolor colicus maxime vrgebat pharmacum; immo ſi Græcos magni nominis viros conſuluiſſem, ac pleroſque omnes Practicantes, debuiſſem illico ad fortia, validiſſimaque medicamenta manum mittere; etiam ad ea, quæ ob amaritiem Colocynthidis, poterant, vt olim ſub Eliſeo Magiſtro accidit, non inepte dici, *Mors in olla.* Sed abſtinui, voluique per gradus aſcendere, nunquam ad maiora illa & extrema omnium facto gradu. Oſtenditque etiam ſanatio doloris illius, non citra artem & ingenium repetitas fuiſſe illas purgationes. Vnicus ſupereſt

R 2 ſcru-

Digitized by Google

ſcrupulus, ob eam, quæ fere ipſius obitum anteceſſit purgationem; & cui vulgus poterat imputare quicquid funeſti accidit in illo Patre. Sed fallax eſt ingenium vulgi, & cui, vt olim Salomoni dictum, potius reſpondeam non reſpondendo, dum ait Salomon: *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam*; nihilominus perennans illa ac triſtis appetitio Patris, illaque humorum paratura adhuc expurgari cupiuerunt, ſuique ablationem popoſcerant; ſed & ad febris præcautionem id fieri debuiſſe clarius eſt, quam, vt vlla indigeat probatione, ob tot repetitos motus atque ſeceſſus, qui certe calorem, adeoque febrim creare facillime potuerant. Ipſeq. Teneſmus purgationem moliendam ſuaſerat ei, qui in Teneſmo non neſcit purgationem potiſſimum expeti. Inter alios Actuarius, Græcus auctor, non dilutæ auctoritatis Medicus
lib.4.c.6. ita ſcribit: *Ceterum quia Teneſmi ex mordacibus ſalſiſque humoribus inteſtino recto impactis oriuntur, num ij in toto corpore abundent expendemus, ac mediocriter purgantibus educentes, ægrum ab aſſidua exſurgendi moleſtia liberabimus.* Linquo alia de induſtria, quæ proprijs capitibus diſtributa vernacula lingua prodibunt in volumen, typis euulgata. Inter alia libri mei capta monſtrabo, facta metaſtaſi humoris noxij ab ipſo ventriculo & inteſtinis, potuiſſe in venas repere incenſa poſtea febri. Hoc pacto dolor colicus in paralyſim non difficili verſura mutatur,
lib.3.c.18. vt Paulus Aegineta alijque viri doctiſſimi obſeruarunt; tranſmigrant enim morbi de vno in alium locum, & reciproca quadam mutatione per partes varias tranſcurrunt, facto tranſitu & commeatu quodam ex arterijs & venis ad neruos vſque, ſicut rurſus ab ipſis neruis ad ve-
l.6.aph.26. nas, vt Galenus diſerte docet. Nec quia a pharmaci hauſtu ſecuta ſit febris, ideo ad pharmacum illico remittenda; quum tot vicibus a Teneſmo exagitatus fuerit Pa-

ter,

ter, totque motus ſubierit repetitis ſeceſſibus, vt exinde facillime in febrim prolabi potuerit motibus illis tam crebro repetitis & humoribus ipſis attenuatis.

Non diffiteor potuiſſe a pharmaco propinato irrogari hominem, febrique etiam immani corripi; ſed id potius ad motum ipſius referendum, quam ad eius deleteriam qualitatem, aut etiam quantitatem; quum maxime naturam lenientium medicamentorum non fuerit tranſgreſſus Potus ille Pharmaci: Vnde quod illi forte accidentarium fuiſſet commotis humoribus in febrim, non ideo abſterrere debuerat Medicum ab eius vſu, ſi aliunde habuiſſet indicationes eoſque ſcopos, quos affectus ipſi monſtrant primario, & affectuum cauſæ. Alioqui vix remedia inuenire ſit vlla, quæ non per accidens obſint: Naturaque in primis molitur quaſdam euacuationes, quæ in damnum animalis, aliquando etiam in interitum poſſunt emergere, vt plenius probabo aliquãdo fauẽtia Numinis.

Hæc ſtrictim dixi Fortuni vir toto Orbe ſpectatiſſime, ſi probationes in cenſum venerint, ſi hiſtoriam, nimis forte prolixe ac diffuſe; ſed veritas, quæ plerumque paucis contenta eſt, debet aliquando multo comitatu procedere, quia Domina reliquis imperat, eſtque rerum omnium Regina. Illam, vt potui, candide exhibui, vt a te viro omni notiori literatura interſtinguatur, excuſſo etiam grano a paleis, atque retrimentis, ſi quidem opus ſit ventilabro. Si tibi vni innoxius fecerim, iam pene Orbis totius iudicio abſolutus fuerim; licet iam habuerim viros Medicos, qui ſuis reſcriptis (quæ aliquando euulgabo) interpoſita etiam Sacramenti Religione hanc meam curationem vnice firmarunt, laudaruntque.

Vale totius literaturæ Columen, & Baldum tuum vnice tibi addictum adhuc amare in dies pergas.

Genuæ die 20. Octobris 1647.

Re-

Reſponſio Liceti de morbo letali morteque ſuccedente protinus ægritudini bene curatæ. Cap. XI.

Cl. Viro Sebaſtiano Baldo Medico Genuenſi Fortunius Licetus B. A.

OMnia ſecundum rationem facienti Medico non ſuccedere ſemper ſecundum rationem, obſeruauit
a2.aph.52 etiam *a* Hippocrates, optime Balde; Quod quidem tunc euenire maxime cenſeo, non ſolum ob ſeram ex arte præſcriptorum medicaminum operationem, vt ad mētem Coi Galenus admonet; ſed etiam quia poſt recte curatam ægritudinem, a qua non temere ſperabatur integra ſalus, aut noua cauſa morbifica potentior in conualeſcentis fere corpore ſuboriatur, morbum letiferum recenter ingerens; aut in eodem corpore dudum ſopita deliteſcens, demum ceu vinculis effractis, effrænis effecta ferociens in conſpectum ſe ſe dedat, atque poſt priorem morbum iam profligatum, in debilitato corpore nouam promoueat ægritudinem inſanabilem. Hæc ad amuſſim eueniſſe tibi, recta ratione curanti Cœnobitam eximium plane video. Nam æger ille duodequinquagenarius, habitu corporis pleniore magnoque ac tantum non athletico, ventricoſiſſimus, & obæſus, temperamento calido fuit & humido: Cui natura benigna vernam (dum funderentur humores) & autumnalem (dum per æſtatem coaceruati maxime ſimul & aduſti bilioſi redundare ſolent) fluxionem hæmorrhoidum ſponte dare conſueuerat ad ſalutem; etſi propter nimiam humorum abundantiam fluxus iſte morbum anteuertens non impediuerit, & comes non omnino ſuſtulerit: e ſponte repetitus hæmorrhoidibus nullum ſibi ſenſerit

emo-

emolumentum. Otio namque literario vitam traducens iſte Cœnobita, ſimul copiam cruditatum, & vbertatem melancholiæ, ſiue bilis atræ per aduſtionem flauæ, congeſſit; quam adaugere maximopere potuit in vltimo vitę, quem prædicas, angor animi vehementior. Vt autem cruditates in ventriculo promouere facile potuerũt intemperiem frigidam & humidam, inappetentiæ feracem, & in inteſtino colicos dolores: Ita melancholicus humor, & ater ex aduſtione genitus, in eam vbertatem adauctus, cui penitus educendo non ſuffecerit, illa repetita fluxio ſanguinis hæmorrhoidalis, altius impactus, vna cum bile flaua nondum aduſta, poſtremæ ſubſtantiæ inteſtini recti, mordaci qualitate ſua partem exquiſitiore ſenſu pollentem extimulans induxit illum atrociſſimum moleſtiſſimi teneſmi cruciatum. Sed quod in propoſito noſtro maximum eſt, in epigaſtrio patientis valde magno, non valde puro, facile potuit aliquo loco ſtabulari deliteſcens inſignis aduſtæ bilis atque melancholiæ portio; quæ concepto quomodocumque putrore, de ſe malignam auram quampiam halauerit in Cor, Cerebrum, & partes alias, accidentium vltimorum atrocium, ac interitus ægrotantis vnicam & veram originem. Neque mirum, ſi Pater oportunis auxilijs profligato ſemel & iterum illo ſæuo colico dolore; primum quidem anodynis extrinſecus adhibitis, & ænematis intrinſecus infuſis vtcumque ſopito, deinde vero leniente pharmaco ex melle, ſyrupoque roſaceis ſolutiuis, cum infuſa ſena in decocto chamæmel. aneth. & betonicæ propinato, pituitæ ſimul & vtriuſque bilis excrementis eductis, integre non conualuerit; nam eo miti medicamine ſolum primæ viæ nuncupatæ Medicis, expurgatæ fuerunt, vti decebat, cum iugulatione præſentis doloris: non tamen eius remedij vis in venas vſque permeare potuit; vnde

noua dolori materies in colon inteſtinum facile mox tranſmiſſa fuit: neque nouam pituitæ generationem in ſtomacho prohibere valuit, quæ nouo dolori cauſam item exhiberet. Quare cruditates in venoſo genere tibi perſpectas ex vrinæ ſignis, expugnare ſerapijs, congruenter oxymellite ad tertias, atque ſyrupo corticum citri permiſtis, optima ratione ſtatim aggreſſus es: & compos voti factus, vrinas concoctionem oſtendentes habuiſti. Dum autem debebat æger non ante mutare diætæ rationem, quam præparati ſucci pharmaco ducerentur extra corpus; importune prandium viri nobilis adijt; vnde ſaltem ab inſolito, ſibique non congruæ qualitatis edulio, ſi non ab ingluuie, nouum fomitem contraxit colico dolori ſæuo, labefactatum toties inteſtinum mire miſereque crucianti. Neque tibi tunc aliud efficiendum erat, quam pharmaco priore ferme repetito, diaphænici portione adaucto; tum præparatos iam in venis humores, tum etiam recens impactum colo noxium ſuccum educere: quæ res ad expugnationem doloris ex voto ſucceſſit. Nec etiam mirum, ſi medicamentis illis non ceſſerit vnquam inappetentia refractaria, quibus tamen non ſemel atrocior coli dolor faſces omnino ſubmiſit; quia dolor ab humorum præſentia natus, & conſeruatus, ad eorum eductionem non deficere non potuit; aſt inappetentia non tam ex humorum pituitoſorum ad ventriculum affluxu, quam ex intemperie ab illis inducta ſtomacho, & imbecillitate virtutis attractricis inde contracta, natales habuit; quæ duo mala perſeuerarunt etiam eductis e ventriculo ſuccis illis nocentibus. Præterea quod par eſt aſſidue confluxiſſe pituitoſos humores ad ventriculum hominis ventricoſiſſimi, quibus foueretur illi iugiter perennis inappetentia: Quos vt rectiſſime tibi propoſueras per epicraſim educere

cere pilulis de hiera ſimplici Galeni frequentatis;ita Pater ille malo ſuo remedium ferre noluit, recuſans in earum vſu ſalubri perſeuerare; quare perennauit inappetentia: tibique iuxta decretum *b* Hippocratis oportuna facientem te præſtanti minime conſentiens æger, oportuna facientem ſe præſtare detrectans,in optimi medicaminis illius frequenti repetitione, quo ſenſim ventriculo robur adderetur, & omnis pituitoſa bilioſaque materies ex eo ſimul & ex inteſtinis ac venis educeretur, ſibimetipſi ſalutem, non verbo, ſed opere negauit. Quoniam vero poſtremos ante dies nulla putredo corripuit humores, quæ malos halitus ad cor emiſerit; ideo nulla febris eo tempore comparuit, nulla pulſuum inæqualitas, nulla rubedo neque flauities in vrinis,verum tenuitas & aquea conditio ſpectata; nimirum poſt iteratas purgationes etiam in venis pituita reliquos humores non parum ſuperante: quæ linguam inferciens, & irrorans os ventriculi; ſitim,& appetitum alimoniæ ſolidioris extinguebat. Hinc decem dies Pater egiſſe videtur in conualeſcentia, iam non ſemel expurgato corpore, proindeque ſublato colico dolore; quo ſolo laborare videbatur. Ceterum quia nondum cunctis excrementis omnino detractis,adhuc in eius corpore ſupererant reliquiæ non paucæ bilis vtriuſque, latentes in abdomine vaſto viri ventricoſi; dum aluus obſonio, mollientibus & ventrem ſollicitantibus herbis confecto, citatur ad fluorem paulo liberiorem; facillimum fuit excitari diarrhæam, quæ quatenus horas implens, octonis terminata vicibus, bilis tenuioris excrementa dederit,abſque ſymptomatis moleſtia;quod ea bilis cum pituitæ quadam miſtura priuaretur aculeis, vtcumque dulcorata; tenuitateque ſua præterlabens inteſtina citatione curſu, moram in eis minime ducens, in tranſcurſu tempus non haberet vllum afferendi doloris

b 1.aph.1.

atque moleſtiæ ſenſum per exulcerationem. Attamen fieri non potuit, quin elabente bile per inteſtina, ſenſim & flauæ ſimul & atræ bilis partes fæculentiores atque craſſiores inteſtini recti fundo extremo rugoſiori iugiter adhæreſcerent, ibique coaceruatæ, ac altius impactæ, poſt horam a diarrhæa teneſmum implacabilem illum excitauerint, acrimonia ſua pluſquam nimia partem ſenſu valde præditam moleſtiſſime lancinantes aſſidue ſic ut uniſus diecculæ naturalis interuallo coegerint ægrum ilecctulo ſeptuagies, vel octuagies propere ſurgere ad irritos & inanes pariter & excruciantes egerendi conatus. Quam quidem moleſtiam ænematis & emollientibus, & flatum diſcutientibus oportune tollere dum aggrederis, importunam iterum habes ægrotantis inobedientiam, id remedij genus faſtidientem, planeque recuſantem. Itaque perſeuerante cruciatu ſæuo teneſmi, rectiſſime propinato medicamine mannæ cum ſyrupo, & melle roſaceis ſolutiuis, ac ſenæ correctæ folijs in iure, detractis ex aluo variorum colorum & generum humoribus, teneſmum expugnare tibi quoquo pacto licuit, magna cum tolerantia ſimul & conferentia patientis, vel ab ipſo iect ampliſſimis commendata laudibus. Quin & ore ventriculi plane deterſo vi medicaminis a pituita, concalefactoque leniter, ac humida nimis intemperie vtcumque correcta, ſignum aliquod appetentiæ virtus eſt æger habere, noctemque præcedentibus obtinere clementiorem. Verum enimvero quoniam in illo corpore grandi ſimul & impuro multa loca fuerunt, in quibus aduſta bilis aceruata latitaret, quæ ſicuti paſſim non raro cancros occultos procreare ſolet, a quorum curatione Medicos procul arcet
6 aph. 38 c Hippocrates; ita ſorte contigit, vt in hipochondrijs, ilijsve patientis diu ſtabularetur veluti ſopitus putridus atque humor, cuius malignitatem, & locum ſtabulationis

in imo ventre, ſatis euidenter prodiderunt externæ maculæ liuidæ poſt mortem in ilijs inſpectæ perſeuerare; quod niterentur craſſiori melancholiæ ſucco, non ita facile diſſolubili. Qui quidem ater humor, antea latenter inſidens in abdomine, tandem tot agitationibus importuni teneſmi concuſſus incaluit calore malo, ac inde luridam ex ſe ſe tetramque ſatis auram quampiam malignitatis halauit in ſuperiora membra; primumque ad cor irrepens anxietatem animi promouit, quam *d* Hippocrates ait e ſanguinis malitia prouenire: indeque per arterias in totum corpus vagata, neruisque, pariter ac venis comparibus communicata, molem corporis vniuerſi grauiorem ſenſui reddidit, pulſus turbauit, & vrinas plane variauit ad malum. Mox in corde coaceruatus ille vapor mali moris euidentiorem febris malignæ vim effecit, pulſus obſcurans, & intermittentes reddens; ac in caput elatus oculis efferatum atque toruum aſpectum dedit, ac denique delirium, cui ſubſecutus interitus. Poſt obitum in cadauere non ab re flaccidum & molliuſculum cor inuentum eſt, quod aura maligna viſceris natiuam firmitudinem robuſtam in elanguidam flacciditatem eneruauerit. Quin & a corde per venas, & arterias peculiares artuum grandiores idem vapor ater prolapſus variegatas vibices in cruribus & brachijs animam agentis efformauerit; quæ poſt obitum euanuerint, quod aura maligna tenuiore niterentur, quæ facilis diſſipatu ſunt in halitus inſenſibiles. Variegatus autem ille vibicum, & vrinarum color, aliunde non prouenit, quàm ex imperfecta miſtura vaporis flaui biliosi cum atro melancholiæ ſimul & albo pituitæ, non bene per coctionem a natura debiliore ſubactorum, ac demum ad vnitatem reductorum; quam vnionem ſemper in materia plane concocta ponit *e* Auicenna. Poſſe vero ſtabulantes in imo ventre ſuccos, po-

d de morb. virg f.

e 1. p. d. 1. c. 2.

Digitized by Google

tiſſimum atrabilarios, malignitatis notam induere, teterrimosque ſurſum halare vapores, accidentium ſæuiſſimorum autores, celerisque mortis miniſtros, aſſidue Medici perſpiciunt in hyſtericis mulieribus, e quatum vtero tetri ſurſum halitus efferuntur, immanium ſymptomatum, & interitus etiam effectores. Quare mortis Cœnobitæ vera cauſa fuiſſe mihi videtur portio bilis partim flauæ, partim aduſtæ, glutine pituitæ ſimul in luridam quandam & malignam maſſam cohærentes, coaceruatam in hypochondrijs impuri ventris, occulteque diu ſtabulantem; quæ tandem agitata valido & frequentiſſimo teneſmi diuturni conatu, concuſſuque, concaluerit præter naturæ modum, ac de ſe mali moris auram emiſerit in cor; vnde febris accenſa; indeque per arterias & venas in totum corpus delata, potiſſimumque cerebrum petens, pulſus obſcurauerit, intermittentes reddiderit, vrinas turbauerit, delirium excitauerit, & adſpectum tortuum; animumque cruciauerit angore magno, mortemque demum acceſſiuerit; relictis in cadauere liuidis iliorum maculis, & cordis flaccida mollitudine; noxę præter rationem ſuccedentes tuæ curationi, ſecundum rationem inſtitutæ; perinde ac Hippocrati, ſecundum rationem curanti, mortui ſunt plures ægrotantes ab ſe pridem in Epidemij enumerati.

Vale mi Balde; & hæc a me, publicis lectionibus occupatiſſimo, raptim ſcripta boni conſule.

Dabam Patauij e meo Scalumnæ Muſeo IV. Idus Nouembris M D C X L V I I.

De

De febre Diaria ex infrigidatione; an eadem ſit cum orta ex conſtipatione: ac num in homine conſiſtentis ætatis, temperamenti calidi & humidi, circa finem hiemis expoſtulet vlla ratione ſanguinis miſſionem, Quæſitum. Cap. XII.

Cl. Viro Fortunio Liceto, Medicinæ Theoricæ Primario inter ordinarios Patauinæ Scholæ N.N. Felicitatem precatur.

ASſidentes iij. Non. Martij ſeni Promotores in almo Collegio Patauino, aſſiſtebant examini rigoroſo Studioſi candidati, Lauream Medicinæ capeſſere ſatagentis; cui poſt explicationem aſſignatorum textuum, & reſponſionem ad obiectas argumentationes, a Cl. Doctore Collegiato ſorte recens electo propoſitus fuit ex tempore morbus ex arte curandus in hęc ipſiſſima verba: *Studioſe Iuuenis, propono tibi curandum virum in ætate conſiſtente conſtitutum, temperamenti calidi & humidi, hoc anni tempore laborantem febre ephemera ex infrigidatione.* Cui caſum iſtum reſumenti Iuueni Promotorum vnus innuit, vt febrem repeteret ortam *ex conſtipatione:* muſſitans ille tamen, dixit, vt propoſitum ſibi fuerat, *ex infrigidatione*. Mox ad eius curationem deueniens, ceteris præmiſſis, quæ pertinent ad morbi naturam, cauſas, indicationes, & prognoſticum, dum aggrederetur præſidia chirurgica, ſtatim audiuit ab vno Promotorum, *abſtinendum eſſe a vena ſectione:* protinus & ab alio, id improbante, *hæreſim hanc eſſe in Medicina.* Tertius aſſeruit, *phlebotomiam conuenire, ſi non ratione curationis, ſaltem ratione præſeruationis, ne diaria febris in putridam degeneraret.* Laureandus primi Promotoris ſententiam ſecutus, aperte ſine cunctatione dixit, *propoſitæ febri nullo pacto conuenire*

ſanguinis miſſionem, quod non peccaret ſanguis, neque quantitate, neque penitus vlla qualitate; quum in ſola ſpirituum accenſione conſiſteret: at loco ſectionis venæ, ſumenda e chirurgico fonte remedia eſſe balneorum aperientium poros cutis, & attemperantium feruidos ſpiritus, nimirum ex aqua tepida cum appropriatis ingredientibus. Verum enimvero, quoniam omiſſio phlebotomiæ reprobata denuo fuit a Cl. Promotore, poſtea repetente; *Patauij febrem huiuſmodi curari ſanguinis miſſione*. Pergratum mihi feceris, ſi de propoſita controuerſia libere ſimul & diligenter tuam opinionem, & rationes, quibus illam fulcias; & ab alienis diſſentias, manifeſtaueris. Vale, & me ama.

Dat. e meo Muſęo prid. Idus Martij M DC XLVIII.

Reſponſio Liceti, Diariam ex frigore, non coincidere cum ephemera ex conſtipatione: non poſtulare phlebotomiam, nec ratione præſeruationis a putrida, Claſſicorum omnium doctrina, & ratione, ſed ſolis balneis, & frictionibus: primum de diuerſitate conſtipationis, & infrigidationis ephemeras varias conſtituentium. Cap. XIII.

Cl. Viro N. N. Fortunius Licetus B. A.

NOn adeo libenter iudicium fero de ſententijs aliorum, Vir Cl. ſed quia nec tibi non obtemperare valeo; nec mihi nunc ex vſu eſt propriam cauſam deſerere; libere dicam, vt ingenuum Doctorem decet, ad veram Claſſicam, & vtilem doctrinam in animis adoleſcentium ſtudioſorum ſerendam, quid in iſta controuerſia ſentio; meum ſenſum cenſuræ ſapientum ſubijciens. Primum igitur accipio, veram eſſe omni ex parte narrationem hiſtoricam controuerſiæ, quam attuliſti. Circa quam ob-

obſeruo, propoſitam curatũ fuiſſe febrem ephemeram veram, euidentem, ac propriè dictam; de qua nulla ſuſpicio poſſit haberi, num ephemera pura fuerit, an incertum, num ad aliud genus febrium inceperit degenerare. Sumo deinde, Infrigidationem eſſe natura quid realiter diſtinctum à conſtipatione; non ſolum quia conſtipatio ſit effectus infrigidationis: verum etiam quia non omnis conſtipatio, diariam febrem efficiens, dependet ab infrigidatione; namque Galeno *a* febris ex conſtipatione, ſiue conſtipationem habens aut ſeparabilem, aut inſeparabilem, oriri poteſt ex alijs cauſis pluribus, præterquam ex infrigidatione; ſcribit enim citatis verbis: *Porro abijt effectrix cauſa* diariæ febris, *quoties ab ira, dolore, vigilia, cura, æſtiuo Sole, fatigatione, & bubone iam inclinato excitata citra ſtipationem febris eſt. Manet, quoties vel ab externa cauſa, vel ab ipſa febre ſtipatio aliqua facta eſt. Nam & frigiditas, & adſtringentium vſus, per mediam ſtipationem ſemper febrem excitant. Vſtio præterea nonnunquam corporis habitum conſtipat. Iam ipſum febris principium, vbi cum horrore inuaſit, ſtipationem ſubinde fecit. Quin etiam glutinoſi & craſſi, aut etiam copioſi ſucci, vbi mediocriter obſtruxerunt, diariam aliquando febrem accendunt*. & mox: *Ceterum non eſt idem ipſarum omnium* ephemerarum *affectus, ſed aliquibus inſeparabilis ſtipatio eſt, ab aliquibus minime inſeparabilis; ſed vel vt plerumque ſimul adeſt, vel ambigua forte, vel raro. Inſeparabilis ſtipatio eſt ijs, qui ex aluminoſa aqua, vel chalcanthode, vel tali quapiam, aut ex frigore, aut leui obſtructione febricitarunt. Plurimum vero ijs adeſt, qui ex vſtione febricitant. Ambigua forte ijs, qui ex fatigatione. Quicunque vero ex ira, vel triſtitia, vel vigilijs, vel pertinaci ſtudio, vel cruditate, vel bubone febricitant, ijs raro adiuncta ſtipatio eſt. Atque harum omnium febrium nulla (quod vtique ex ipſa ſit) ad ſecundam vſque acceſſionem perdurat.*

a 10. meth. cap. 2.

ſed

ſed intra quatuor & viginti horas omnino deſinit. Ex quibus apertiſſimum eſt, Galenum diſtinguere diariam ex infrigidatione (quæ ſpecialiſſima ſpecies eſt curatu propoſita Laureando) ab ephemera ex conſtipatione, quæ multiplicis eſt ſpeciei; quarum alia fit ex vſtione Solis; alia ex aluminoſa aqua, & alia ex chalcanthode; quæ tria febrem ephemeram inducunt, non infrigidando; ſed potius adſtringendo cum calefactione ſiccante; nam

b l. 5. c. 82. alumen *b* Dioſcoridi, *vim habet exalfapiendi, ſtringendique*. Ac eidem prius,

c l. 5. c. 73. *c chalcanthum valet adſtringere,*

d 9. ſimpl. *calfacere, & cruſtas inducere*. Quin & Galeno *d* tribuente pariter alluminis, & chalcantho vim adſtringendi maximam, & exſiccandi, nullam infrigidandi. Hanc Galeni doctrinam accepit & illuſtrauit Patauinorum iubar

e 6. de febr. c. 4. *e* Capiuaccius inquiens, *Quare dicendum de ephemera ex ſtipatione, quam vt ita vocat*

f 8. meth. 2. 9. meth. 1. *f Galenus, ita vocat Auicennas Ephemeram ex oppilatione, cuius febris hæc eſt generatio, cum*

g loc. citt. *Galeno, g vt quum vi ſtipationis detineatur in corpore id, quod deberet tranſpirare, ſi contingat facta ſtipatione id non eſſe halituoſum ac mite, ſed potius mordax, & acri fumo, fuliginive non abſimile: hoc inquam acre vi ſtipationis detentum petit cor: vnde cordis ſpiritus accenduntur; & hinc febris ephemera: vt hæc ephemera ſpecies, ſit febris ephemera producta ex ſtipatione. Vnde pro intelligentia huius definitionis, & pro curatione huius febris, duo ſunt explicanda: primum, quid intelligere oporteat per ſtipationem: ſecundum, quæ ſint ſtipationis cauſæ. Quoad primum attinet, cum Gale-*

h loc. citt. *no, h ſtipatio pertinet vel ad venas* (venarum nomine ſignificat etiam arterias antiquo more) *vel ad cutim: ſi ad venas pertinet, ad venarum vel meatus, vel orificia; ſi ad meatum, dicitur obſtructio: ſi ad orificia, vocatur conniuentia: ſi autem ad cutim, nuncupatur denſitas. Vnde quum cutis pori, & venarum orificia ſint collocata in loco corporis magis externo;*

Digitized by Google

timo; venarum autem meatus, ſeu ductus, ſedem occupent intimiorem; propterea dicit Galenus i *ſtipatos corporis meatus duplices eſſe, nempe vel cutis, vel partium penitiorum; vnde per partes penitiores intelligit venarum meatus, per cutis autem meatus intelligit tum cutis poros, tum venarum orificia; quum hæc pertingunt ad cutim. Hactenus ergo patet, per ſtipationem opus eſſe intelligere, ratione ductuum venarum, obſtructionem; ratione orificiorum, conniuentiam; ratione pororum cutis, denſitatem: Hac de primo. Quo ad ſecundum, hoc eſt ſtipationis cauſa, cum Galeno* k *pariter & Auicenna. Quo ad obſtructionem attinet, fit a ſuccis peccantibus, vel copia, vel qualitate; & ſi qualitate, vel craſſitie, vel viſciditate. Quo autem ad orificiorum venarum conniuentiam, & cutis pororum denſitatem, ab iiſdem fiunt cauſis; vt ſi remiſſiores ſint, cauſent denſitatem; ſi intenſiores, etiam conniuentiam. Nec ab re, quum denſitas pertineat non ſolum ad cutim, verum etiam ad cuticulam; conniuentia ad ſola venarum orificia, nequaquam ad cuticulam. Hæ autem cauſa in hoc conueniunt, vt ſint vel interna, vel externa. Ergo conniuentiæ, & denſitatis cauſæ, ſi ſint externa, ſtipant qualitate; hacque vel prima, vel ſecunda: & ſi prima, eſt cauſa vel refrigerans, vel ſiccans; ſi ſecunda, eſt adſtringens: vt verbi gratia, inter cauſas refrigerantes recenſere liceat aerem frigidum, balneum frigidum, medicamentum frigidum: inter cauſas autem ſiccantes, Solem feruentem, frictionem duram ſiccam, immoderatam exercitationem: Tandem inter cauſas adſtringentes, balneum aluminoſum, oleum aſtringens. Cauſa denique conniuentiæ, & denſitatis internæ, ſunt vt ſordities, vt cum Auicenna fiat ex intermiſſa lotione; præterea vt voluit* l *Galenus horror, & rigor; qui ſane eſſe ſtipationis cauſa intrinſecus, colligitur ex Galeno, quum dicit,* m *ſtipationem fieri vel ab externa cauſa, vel a febre: ecce febrem diſtingui ab externa cauſa. Declarans autem quomodo febris eſt ſtipationis cauſa,*

i 1. de diff. feb. 3.
k loc. citt.
l 10. meth. 3
10. meth. 4.
m 10. me. c. 2.

ſubdit: Febris principium, vbi cum horrore inuadit, ſtipationem, hoc eſt denſitatem facere. Hæc de cauſis ſtipationis. Quo autem ad differentias, quum capi debeant a ſtipatione; patet ſtipationem diuidi in denſitatem, conniuentiam, & obſtructionem, &c. Ex quibus quum liquido conſtet non ſolum conſtipationem a cauſis tum externis, tum etiam internis fieri poſſe: ſed etiam conſtipationis tres eſſe differentias; quarum duas tantum efficere valet externa frigiditas, denſitatem nimirum pororum cutis, & conniuentiam orificiorum venarum, non item intimiorem ductuum obſtructionem; quæ ſolum efficitur ab interna cauſa, licet ab hac etiam aliæ duæ ſpecies conſtipationis oriri valeant, ſatis apparet non idem eſſe febrem ephemeram ex infrigidatione ac ex conſtipatione productam. Verum & Aetius diſtinguit apertiſſime Diariam

n ſerm.5. c.62. ex frigore natam, de qua prius *n* agit, a Diaria producta ex cutis denſitate, cuius curationem peculiarem multo

o cap.64. *o* poſt inſtituit. Oribaſius item clare diſcernit in ſua

p l.6.c.6. *p* ſynopſi febrem ephemeram ex frigore productam, ab ea quæ ex meatuum conſtipatione naſcitur. Quum autem ephemerarum febrium conſtipationem habentium non omnes ſpecies eadem ratione curentur; ſed aliter quæ ab infrigidatione proueniunt, curari debeant; aliter, quæ ab vſtione; aliter, quæ ab oppilatione a craſſis, aut multis humoribus; aliter, quæ ab alijs cauſis; vt patet euidenter ex diuerſis earum curationibus propoſitis

q l.4.f.1.tr.1. c.9.33.37.39. ab *q* Auicenna, *r* Rhaze, ceteriſque Claſſicis, de quibus infra; iam non erat vt ephemera febris, ex infrigi-

r 10. ad Alm.c.2. datione ortum habens, ad curandum recte propoſita Candidato, commutaretur in febrem ephemeram ex conſtipatione, quæ multiplicis eſt ſpeciei, & incertam inter multas habet peculiarem curationem.

Ephemeræ febri, ex infrigidatione, quin & ex conſtipatione genitæ, proprie conuenire non poſſe ſanguinis miſſionem, ratio demonſtrans. Cap. XIV.

DEinde vero diariæ febri, ex infrigidatione, quin & ex conſtipatione genitæ, non conuenire ſanguinis eductionem e vena ſecta, ſed ſolum lotiones ex aqua dulci, & frictiones, & inunctiones, in curatione canonica, ratio conuincit aperte, Medicique Claſſici penitus omnes vnanimi conſenſu decernunt euidentiſſime, Græci, Arabes, Latini, potiſſimumque celebri nomine Patauini. Ratio quidem in primis, quia Diaria propoſita Candidato, non aliunde prouenit, quam ex accenſione ſpirituum, in corde, & arterijs impetum facientium; quorum accenſio geminam habet cauſam; vnam quidem, quia frigoris externi vi conſtipatis oſculis arteriarum, ad cutem vniuerſi corporis finem habentium, non patet exitus fuliginibus extra corpus exire geſtientibus, per appellatam Medicis inſenſibilem tranſpirationem; quibus fuliginibus igneis intra cauum arteriarum retentis, & aſſiduè coaceruatis, non poſſunt non incaleſcere ſpiritus vltra modum, eorum naturæ conſentaneum. Altera cauſa eſt, quia per occluſa foramina earundem arteriarum non poteſt aer exterior intus attrahi ad euentilandum, temperandumque naturalem calorem ſpirituum, natura feruidorum. Terminantur etenim ad cutim arteriæ; motuque perenni ſyſtoles, atque diaſtoles aguntur, vt ſui conſtrictione fundant, expellant, ac velut euomant fuligines igneas extra corpus: & ſequenti ſtatim dilatatione ſugant exinanitæ parum, attrahentes intra ſe aerem ad refrigerium ſpirituum in ſe contentorum. Sicuti perenni motu conſimili reſpirationis, per inſpira-

tionem attrahitur aer exterior in pulmones & Cor, ad ſpiritus feruidos in eius ventriculis refrigerandos: & per expirationem expelluntur fuligines in corde genitæ caloris vehementioris actione. Quoniam vero morbus quilibet vnica remotione cauſæ morbificæ tollitur, non autem alterius vllius rei; propterea recte curatur ephemera febris, ex infrigidatione ortum habens, obturante cutaneas arteriolas, per apertionem ſolummodo foraminum cutis, & arteriolarum ibi deſinentium; quo poſſint ex eis egredi fuligines, & ſubinde in eas attrahi, & ingredi aer. Quas intentiones optime conſequimur lotionibus tepidis ex aqua dulci, cutem conſtipatione duratam emollientibus; & frictionibus arteriarum oſcula, cutisque poros aperientibus; nam hinc egreſſis igneis fuliginibus, & ingreſſo aere refrigerante, ſpiritus exuunt febrilem calorem omnem, priſtinumque modum temperamenti ſui naturalis ſibi comparant. Ad hos autem ſcopos eductio ſanguinis e vena ſecta tum inutilis eſt, tum etiam valde noxia; inutilis quidem, quia non tollit vllam cauſam diariæ febris; etenim ſpiritus incenſi, fuliginesque febrem promouentes, in venis non ſunt, ſed in arterijs; quæ ſecandæ nunquam ab vllo Medicorum propoſitæ fuerunt in ephemera febre. Valde noxia vero venæ ſectio eſt febri diariæ ex infrigidatione partium externarum vniuerſi corporis, & meatuum in illis exiſtentium conſtipatione productæ; quia miſſio ſanguinis auget cauſam illam febris externam, non tollit, neque minuit; enimvero cuique notiſſimum eſt ſecta vena ſanguinem ab vniuerſo corporis ambitu ad intima corporis concedere, ſecumque calorem influentem; vnde partes externæ, præter eam, quæ ſecatur, omnes ad vnam refrigerantur, & earum arteriæ magis conniuent, & occluduntur ex æquo fuliginum exitui, & aeris ingreſſui.

Qua-

Quare diaria augmentum ſumit. His addendum eſt, ephemeram ex infrigidatione genitam, miſſione ſanguinis in ſynochum poſſe degenerare; ſi quidem exinanita vena trahit de compare ſibi arteria per anaſtomoſes arterioſum ſanguinem, & cum eo ſpiritus febrili calore feruidos; qui calor febrilis communicatus venoſi ſanguinis parti tenuiori, facile ſynochum ſine putredine ſuſcitare poteſt. venas autem exinanitas exſugere ſibi ſanguinem atque ſpiritum per frequentes anaſtomoſes e coniugibus arterijs, notiſſimum eſt apud omnes Medicos Claſſicos. Itaque Diariæ febri ex infrigidatione non conuenit miſſio ſanguinis e vena ſecta. Quam quidem veritatem ea quoque comprobat experientia, qua non ſemel obſeruaui Medicos inexpertos in febribus putridis intermittentibus aperiendo venam illas in continuas commutaſſe; nimirum e foco putredinis extra venas exiſtente traxiſſe vaporem ac humoris putridi portionem intra venas exhauſtas, qui congeneum ſibi humorem putredine communicata coinquinans febrem continuam excitaret: Galeni dictum *a* de febribus putridis tum continuis, tum in corpore plethorico vigentibus propoſitum, quarum omnium remedium ſaluberrimum eſſe ponit eductionem ſanguinis, ab re trahentes ad febrem etiam quamlibet intermittentem: in qua non licet ſanguinem mittere niſi corpore plethorico exiſtente: vt eo loco Galenus admonet: Quæ plenitudo non habetur in caſu propoſito, ſicuti latius infra patebit. Ita putreſcente phlegmone, ſi corpus plethoricum non ſit, Ioannes de Vico *e* Chirurgorum pater ex Auicenna, phlebotomiam non inſtituit, ne trahatur putreſcentis humoris portio in venas exinanitas, & febris continua ſuſcitetur. Pari ſane ratione diaria febris in acceſſione ſpirituum conſiſtens, eductionem ſanguinis e vena reſpuit, ne in eam exhauſtam

a 11. meth. c. 15.

e 2. de apoſt. c. 2.

ſtam ſanguine trahantur accenſi ſpiritus ex arteria coniuge per anaſtomoſes, & in venis excalfacto præter naturæ modum ſanguine febris aliqua ſuſcitetur e ſynochorum genere. Sic igitur in ephemera ex infrigidatione ſanguis non eſt e vena mittendus.

Hippocratem curare diarias alterantibus, non eductione ſanguinis. Cap. XV.

HAnc autem doctrinam excoluiſſe Claſſicos omnes tum veteres, tum etiam recentiores videre licet; a 7.aph.42 in primis omnium Hippocrates *a* in Aphoriſmo ſcribens: *Si febris non ex bile habeat, multa aqua calida capiti ſuper infuſa, ſolutio fit febris*. Nimirum, vt admonet in commento Galenus, & Patauinæ Scholæ pridem lumen Clariſſimum Hieronymus Mercurialis, Hippocrates hic diuidit febrem generatim ſumptam in duas differentias ſupremas; quarum vnam appellat febrem non ex bile, alteram innuit febrem ex bile; per febrem non ex bile ſignificat ephemeras principaliter & hecticas; quarum nulla fit humorum vitio; ſed accenſione ſpirituum ephemera, ſupercalefactione ſolidarum partium hectica. Per febrem autem ex bile ſignat humoralem; quia non ſolum ex bile flaua fit omnis tertianam periodum habens, & ex atra bile quartanos circuitus obtinens, tam continuæ, quam intermittentes; verum etiam pituita putreſcens febrem excitans, provt febrili calore igneo feruet, ad bilis naturam accedit, quæ ignea eſt, calida & ſicca; proindeque ſub nomine bilis ab Hippocrate non inepte comprehendi potuit. Hic autem Hippocratem agere potiſſimum de febribus ephemeris, aperte monet in commentario Galenus inquiens: *Febres ſiquidem, quæ ab exuſtione, ac frigiditate facta ſunt, a talibus*

bal-

balneis vtilitatem ſentiunt: nec minus, quæ ex laſſitudinibus fiunt, & quæ propter foraminum anguſtationem, ſiue propter obſtructionem, ſiue ob clauſuram fuerint anguſtata. Reſpirare ſiquidem per ipſa oportet, & diſſolui calorem febrilem. Non tamen, vbi inflammatio aliqua, aut abſque inflammatione humoris putredo igneum calorem accenderit, balnea vtiles ſunt, antequam noxij humores euacuentur, aut concoquantur. & infra: *Melior igitur eſt prima ſcriptura, quæ veram docet curationem earum febrium, quæ ex dicto genere ſunt, quæ videlicet vel ob laſſitudines, vel exuſtiones, vel refrigerationes, vel omnino cutis fiunt anguſtationes.* (inter quas eſt propoſita Candidato febris ephemera ex infrigidatione) *Quod autem a bile dicitur, & de pallida, & de atra bile intelligi poteſt: non tamen in his ſolis oſtendebamus, ſed & ob pituitam putreſcentem fieri febrem. & in hac ſola videbitur aphoriſmus non eſſe verus; niſi quis exiſtimauerit pituitæ putrefactionem in humorem bilioſum conuerti.* Quibus apertiſſime conſtat ex Galeni ſententia nunc Hippocratem agere de febre diaria cum generatim, tum ſpeciatim de illa, quæ ortum habet ex infrigidatione coanguſtante cutis foramina, & vaſorum ibi terminos habentium orificia: Dum autem Hippocrates ait huiuſcemodi febrem non ex bile productam ſolui multa aqua calida capiti ſuper infuſa, quæ deorſum fluens totum corpus irriget; iam ſanguinis miſſionem excludit; ſi enim balneum aquæ febrem ſoluit, inutilis, & ſuperuacanea, immo noxia eſt phlebotomia. Sed quoniam ad Patauinos Doctores appellatum fuit; in primis ne pigeat huius Hippocratici loci declarationem apud Mercurialem videre; qui dicit *b* hic agi de febribus Diarijs, provt a putridis contradiſtinguuntur, & ab humoralibus abſque putredine, cuiuſmodi ſynochi ſunt: ait enim: *Eſt itaque hæc Hippocratis mens, ſi homo a febre non putrida capiatur, ſed ab aliqua diaria,* *b* 7.aph.43

ria, vel ex laſſitudine, vel ex calefactione, vel ex refrigeratione [*aqua multa & calida affuſa capiti tollit febrem*] & mox. [*Soluit febrem:*] *De perfecta ſolutione, non autem de ipſius febris in alium morbum tranſmutatione loqui Hippocratem certum eſt*. & infra dicit, *aquam multam capiti affuſam per vniuerſum corpus percolari; proptereaque eſſe perinde, atque vniuerſo corpori affundi. Balneum autem totius corporis ex arte adminiſtratum febres diarias ſoluere non eſſe dubium*. ac demum: *Vtilis eſt aphoriſmus ad prædicendum quidem, ſed potiſſimum ad curandum febres diarias, & proſpiciendum ne in putridas, vt ſolent, conuertantur*. Igitur ex Hippocrate, de ſententia Galeni, & Mercurialis, ad curandum febrem diariam, & ad præſeruandum ne degeneret in putridam, ſufficiunt alterantia, nec opus eſt miſſione ſanguinis vlla. Ceterum inter exteros, qui Medicinam in Academia Patauina publice docuerunt, adnumeratur etiam Cl. nominis Rodericus Fonſeca, qui ſimiliter hunc aphoriſmum explicat de curatione diariæ febris, provt ab omni humoroſa contradiſtinguitur; aſſerens hic Hippocratem *loqui ſolum de febribus ephemeris, & de illis quæ præcipue a capite originem traxere, ſeu nimis calefacto, ſeu refrigerato*. Recte igitur ad Hippocratis, Galeni, & Patauinorum Claſſicornm mentem conſultum eſt Candidato, ne propoſitam ſibi febrem ephemeram ex infrigidatione curaret phlebotomia, ſed ſolis balneis alterantibus.

Galenum in curatione febris ephemeræ tam ex infrigidatione, quam ex conſtipatione, reſpuere ſanguinis miſſionem, admiſſis ſolis alterantibus. Cap. XVI.

VErum Galenus alibi tractans ex profeſſo de curatione Diariæ febris, aperte vel omittit, vel reprobat

bat ſanguinis eductionem, ſoliſque alterantibus vtitur, potiſſimum curans ephemeram ex frigore, pororumque cutaneorum adſtrictione: ſcribit enim ad Glauconem in arte curatiua: *Simpliciſſimæ* febres *ſunt, quas Hippocrates* a l.1.c.2. *ephemeras, ideſt diarias, appellat: hæ vero ſunt, quæ propter laſſitudinem eueniunt, & ebrietates, atque iras, furores, atque mœrores, atque alias animi curas vehementes. Et quæ ex bubonibus febres ortum habent, ex hoc genere ſunt, præter quam ſi abſque vlcere fiant manifeſto; tunc enim ſuſpicionem afferunt, & nullo modo mites ſunt. Et vigiliæ plerunque ſimplicem febrem induxerunt, ſicut frigefactio, & exuſtio quandoque. Atque hæ omnes febres ſoluuntur facillime. Oportet ſiquidem eos confeſtim ducere ad balneas, atque ad aliam conſuetam victus rationem.* Poſtea, nulla vnquam facta phlebotomiæ mentione, ſubdit inferius: *Eorum autem, qui ex laſſitudine in febrem inciderunt, cutis eſt ſiccior, quam in alia aliqua ephemera febre: Sed hoc quidem omnibus ex laſſitudine febricitantibus commune exiſtit in tempore acceſſionis, donec conſiſtit: poſt hoc vero pluribus, modo non ſint ſupra modum labore vexati, quidam humidi vapores, aut calidus vapor ex intimo corpore effertur: quibuſdam vero, etiam poſtquam febris conſiſtere deſijt, ſiccitas perſeuerat: quod maxime accidit his, quos ſuperfluus labor oppreſſit, aut refrigeratis, aut a Sole exuſtis ſimul cum laſſitudine.* Denique curationem afferens omnium ephemerarum ſigillatim, nulli præſcribit vnquam Galenus miſſionem ſanguinis, tanquam nulli neceſſariam; ſed ſolum alterantia præſidia, rectamque victus rationem aſſerens: *b Curare autem oportet omnes quidem balneis. At, qui ex denſitate cutis, aut ex bubonibus febricitant, ſi in aere balnei immorari iuſſeris, haudquaquam nocebit: reliquos omnes quam citiſſime oportet ab aere ſemouere: ſi vero diutius in aqua immorari voluerint, permittendum. Oleo autem tepido, & multo, & manibus molli-* b cap.3.

bus perfricare quamplurimum oportet, præcipue quidem, qui ex laſſitudine febricitant: ſecundo autem loco qui meatus habent aſtrictos: & tertio qui ex bubonibus febrem incurrerunt: ſæpius autem illos lauare oportet, in quantum contigerit. Cibum autem aſſumere, qui ex laſſitudine febricitant, poſſunt multoties; non æque tamen, qui ex denſitate cutis, aut bubonibus febricitant: at his vtriſque tenuis victus eſt optimus: Qui vero ex laſſitudine febricrint, præcipiendum eſt, vt cibos aſſumant concoqui faciles, ac cruditatem præcipue deuitent. Sed & vinum potare, quantum poſſunt conuincere, ſunt permittendi. Menſuræ autem ratio, quemadmodum in alijs omnibus, ex viribus & ætate ſumitur ægrotantis, nec non & ex naturali temperatura, præterea ex conſuetudine, & anni tempore, & regione, atque alijs huiuſmodi. Qui vero ex bubonibus febricitant, arcendi ſunt a vini potu, donec bubones ſoluantur. At, qui cutis foramina habent aſtricta, vel refrigerati ſunt, ſi non multum hoc affectu laborent, neque plenum corpus habeant, non ſunt a vini potu prohibendi: at qui pleniore corpore ſunt, vel multum refrigerati, prohibere vtile eſt. Qui vero ex vigilijs, aut aliquo animæ affectu febricitant, poſtquam balneaueris, cibo humectante ac boni ſucci reficere expedit. Vinum vero omnibus, ſed præcipue his, qui vigiliam paſſi ſunt, intrepide offerendum eſt, niſi capitis dolore præmantur, aut pulſum venarum in temporibus ſentiant. Liquet autem, quod etiam in alijs eadem obſeruanda ſunt. Sed & ijs, qui ira, aut mærore aliquo, aut cogitatione febricitant, vinum eſt exhibendum: & qui furore febricitant, quando omnino ab affectu quieuerunt, prius vero non tutum eſt vti vino. Tentare autem oportet & contrarium ſemper afferre ei, quod moleſtat: labori quidem, quietem: vigilijs vero, ſomnum: iræ autem, & furori, atque triſtitiæ eam animi iocunditatem, quæ ex ſermonibus, actionibus, ſpectaculis, enarrationibus percipitur. Sic, qui cogitatione laborat, omnino ra-

tio-

tiocinationes omittat: &, qui ex bubone febricitat, prius huius curationi intendat; ac multo prius vlceris, vnde originem habuit. Hæc quidem febrium ephemerarum indicia, atque remedia ſufficienter ſe habeant. Profecto quum ne verbum quidem fecerit in adeo diligenti Diariarum omnium curatione, de phlebotomia, certo certius eſt ipſum miſſionem ſanguinis non approbaſſe remedium vllius ephemeræ febris, multo minus ex infrigidatione, vel conſtipatione productæ; ſecus enim ſufficienter non attuliſſet ephemerarum remedia, prætermiſſo maximo. Quin etiam ſi diariæ conueniret phlebotomia, maxime requireretur in corpore pleniore, cui plenitudo facit ſenſibilem pulſum venarum in temporibus; at hiſce Galenus non præſcribit vllam ſanguinis miſſionem, ſed ſolum non ita promptum, & largum vſum vini. Quare Galeni doctrinam ſectantur, qui non præſcribunt venæ ſectionem in cura febris ephemeræ, potiſſimum ex infrigidatione, conſtipationeque genitæ. Ceterum alibi Galenus aperte prohibet eductionem ſanguinis in febre diaria, naturam ephemeræ conſeruante; dum primo *c* ſcribit: *Dictum namque eſt, in ijs corporibus meatuum conſtipationem febrem excitare, in quibus quod tranſpirat, halituoſum non eſt (Atmodes Græci dicunt) cuiuſmodi; viſitur in ijs, qui boni ſunt ſucci: ſed mordax, & acre, fumo, fuliginive non abſimile. His igitur corporibus ſaluberrima eſt ex aqua dulci & temperata lauatio: tum frictio, quæ rarefaciat, & exercitationes mediocres, & victus qui dulces efficiat ſuccos. Aduerſiſſima vero ſunt lauatio frigida, & aluminoſa, & lauationis abſtinentia, & exercitatio acuta, & frictio vel plane nulla, vel dura; & victus mali ſucci, & vigilia, & ira, & triſtitia, & cura, vſtioque in Sole, & fatigatio. Verum de reliquis poſt dicam. De ſtipatione vero meatuum, vnde digreſſus ſermo eſt; liquido ſcire licet, ſolam eam, ſi reliqua omnia*

c 8.meth. c.2.

Digitized by Google

deſint, accendere febrem poſſe &c. Quibus fuſius inſtituit ephemeræ curationem ſolis alterantibus, nulla facta mentione phlebotomiæ, in corporibus quidem calidis & ſiccis; quibus nihilominus quam calidis & humidis conueniret ſanguinis miſſio, ſi diariæ cuipiam febri congrueret; nam intentio mittendi ſanguinis abſolute duplex eſt, refrigerandi, & euacuandi; ſane calida & ſicca temperies ephemera laborantis, maxime refrigerandi virtutem in remedio poſtulat, quia febrilis calor contrariam qualitatem præſidij requirit quo temperetur, non minus quam calida & humida temperatura corporis itidem ex conſtipatione diariam febrem patientis: At Galenus omiſſa miſſione ſanguinis in diaria ex conſtipatione naturarum calidi & ſicci temperamenti, ſolis vtitur alterantibus balneis, oleis, & alimentis; idque iure merito; quia refrigeratio proueniens ex miſſione ſanguinis tum per ſe noxia eſt, quod maxime partes cutaneas afficit, & ibi meatus magis occludens cauſam febris augeat: tum adiunctam habet attractionem accenſorum febrili calore ſpirituum ex arterijs in venas, in quibus facillime procrearent deteriorem ephemera febrem ſynochum in ſupercalefacto ſanguine, ſicut antea vidimus. Quum ex aduerſo balneum aquæ dulcis calentis aperiat actuali ſuo calore poros cutaneos, & per eos ad intima penetrans aqua naturali habitualique ſua frigiditate ſpirituum feruorem tollat, febrilemque calorem extinguat. Quare conſimili ratione phlebotomiam non adhibet Galenus in corporibus tum calidi & humidi, tum alterius cuiuſque temperamenti, diaria laborantibus, ſed ſolum balnea, victusque rationem oportunam; qua de re poſtea latius agit integris ternis capitibus totum primum librum terminantibus; vbi curationem diariarum explicat luculentiſſime, ſola victus ratione, alterantiumque præſidiorum

d 8. meth. c.7.&ſeqq.

rum

rum vſu, prætermittens omnino ſanguinis miſſionem, tanquam ephemeræ curandæ prorſus ineptam, & importunam. Quam quidem ſi quandoque *e* Galenus præcipere videatur; non in ephemera pura ex infrigidatione in corpore calido & humido, ſed in ephemera ſpuria ex obſtructione in corpore temperamenti calidi & ſicci proponit; vt infra latius apparebit: & ad præſeruationem a febre putrida, non ad curationem diariæ præſcribitur a Galeno phlebotomia. Sed Candidato noſtro propoſita fuit curanda febris ephemera ex infrigidatione in corpore calido & humido; cui nunquam Galenus eductionem ſanguinis imperauit. Recte igitur eam in propoſito caſu Laureandus vitandam eſſe conſtituit, & ſolis alterantibus vtendum.

e 8. meth. c.4. & 9. meth. c.4

Aetius ephemeram febrem vniuerſim, & ſpeciatim a frigore natam, curat alterantibus, abſque ſanguinis miſſione. Cap. XVII.

QVod ſi poſt Galenum alios autores Græcos de curanda febre diaria, potiſſimum ex frigore natam conſuluerimus, neminem venæ ſectionem laudare comperiemus, at omnes ad alterantia ſolum præſidia recurrere; nam Aetius in primis ait: *a Primum itaque de Diarijs tractabimus. Fiunt hæ febres, veluti dictum eſt, citra humorum putrefactionem, ſolo ſpiritu ferueſacto; & propterea diariæ appellantur: Nam vbi loti ſunt ægri in prima huius febris declinatione, & cibum boni ſucci ac humectum acceperint, non amplius ſecundario febricitant.* & inferius: *b De febrientibus ex frigore. Si quis frigefactus febricitarit, ſuppreſſis videlicet fumoſis tranſpirationibus, quæ per cutem fiunt, & hic in balneum ducendus eſt in febris declinatione. Caput autem calefaciendum eſt & ante balneum, & poſt balneum,*

a ſerm.5. c.58.

b cap.61.

Digitized by Google

neum, in declinatione, ex vnguento amaricino, aut nardino. Quin etiam Aetius phlebotomiam non adhibet in curatione Diariarum ex cutis denſitate, quæ conſtipatio dicebatur: ait enim poſtea; c *De febribus ex cutis denſitate. Denſatur cutis aut ex frigore, aut acerba qualitate ipſi præter adſuetudinem allapſa. Quale quid etiam accidit his, qui in aluminoſa aqua lauantur. Arctiſſima eſt his cutis, vt etiam tactu cognoſcatur. Immo & caloris motus, leuis quidem iuxta primam manus admotionem apparens; acris efficitur, ſi diutius tactus perſeueret. Vrinæ autem non velut alijs fuluæ ſunt. Quare non accuſamus in his quod alimentum non ſentiant, vnde corporis moles contrahitur. Neque vero oculi caui ac ſicci fiunt. Verum ſunt quibus humidiores & prominentiores eſſe videntur naturalibus eo quod non contigit tranſpiratio in ipſis, ſed materiæ magis intus concluduntur. Vnde neque pulſus parui ſunt; velut in triſtitia, aut cura, aut vigilijs, & valde immoderatis exercitijs. Curare porro eos oportet aquarum dulciſſimarum ac temperatiſſimarum balneis, poſt exacerbationis declinationem; & præcipere ipſis vt aliquandiu in balnei aere morentur: affundendumque eſt ipſis oleum dulce tepidum: & fricatio mollis ac moderata adhibenda. Tenuis autem victus præſcribendus eſt, & vinum dandum tenue & album.* Sic igitur Aetius noſtram ephemeram non curat eductione ſanguinis, at ſolis alterantibus, & recta victus ratione.

c cap. 64.

Oribaſium ephemeram ex frigore, & conſtipatione ſolis balneis, & alijs alterantibus curare, non ſanguinis vlla miſſione. Cap. XVIII.

Conſentit prædictis Oribaſius, qui nunquam in ephemeris propoſitis vtitur phlebotomia, ſed ſolis alterantibus; ait enim a ſua in Synopſi, dum de Diarijs agit: *Si*

a l. 6. c. 6.

Si quis vero ex frigore febrim contraxerit, is etiam in declinatione lauandus erit. Si vero febri, & deſtillatione, grauedineque vexetur, prius quam hæc concocta ſint, lauandus non eſt. At qui propter vſtionem febricitant, ij vel quum hæc adſint, lauari debebunt. A balneo vero amborum capita ijſdem madefacienda ſunt; atque eorum quidem, quibus vſtio febrim attulit, refrigerantibus: ijs vero, quibus frigus calefacientibus, quæ ſint mediocria, quale eſt irinum, & nardinum vnguentum. Quibus vero meatuum conſtipatio febrem excitauit, ijs balnea dulcium aquarum & temperatarum conueniunt: tum frictio rarefaciens, & exercitationes, & victus ſuccis dulcibus procreandis idoneus &c. Quibus nunquam in curatione diariarum vllarum adhibet phlebotomiam, vnis contentus alterantibus, & accommodata Diæta.

Auicennam curare febrem ephemeram ex infrigidatione ſolis alterantibus, non emiſſione ſanguinis. Cap. XIX.

AVicennas autem accurate febres ephemeras tractauit; primum quidem [a] inſtituens curationem vniuerſalem, eam molitur vnis alterantibus, & recta victus ratione, ſemper abſtinens ab euacuantibus, niſi tribus in caſibus a noſtro longe diuerſis, inquiens: *Euacuatione autem non indiget aliquis eorum, niſi habens oppilationem repletionalem, & habens nauſeatiuam ſatietatem, & qui habent febrem ephemeram ex ſoliditate, cuius corpus eſt repletum.* In quorum cenſu non numerari laborantem noſtrum febre diaria ex infrigidatione, cuique notiſſimum eſt; & aperte conſtat ex ipſomet Auicenna, qui poſtea diſtinctis capitibus affert curationes ephemerarum ex [b] oppilatione: ex [c] nauſeatiua ſatietate, ac repletione: & ex [d] frigore; de qua ſine mentione phlebotomiæ ſic inſit ad verbum; *Quandoque accidit ex frigore, & balneatio-*

[a] lib.4.f.1. tr.1.c.9.
[b] cap.33.
[c] c.34.35.
[d] cap.39.

tione cum aquis frigidis vt condenſentur pori apparentes, & coarctentur vapores fumoſi, ſecundum quod dictum eſt in illa,
e cap. 37. *quæ fit ex* e *teſtuoſitate; quare accidit febris: & multoties perducit ad putridam. Et non perducitur ad illam febrem, niſi quando vapor præfocatus eſt acutus, non ſuauis; ſuauis enim non generat eam:* (cuiuſmodi ſuauis vapor eſt in corpore viri conſiſtentis ætatis, humidi ſimul & calidi temperamenti circa finem hiemis, ad curandum propoſiti; quare nulla ſuſpitio fuit ne ipſius ephemera degeneraret in putridam. Mox propoſitis huius ephemeræ febris ex infrigidatione ſignis, Auicennas eius propriam curationem affert, abſque miſſione ſanguinis, per alterantia ſolum, & rectam victus rationem, addens:) *Curatio: Cooperiantur in febre, donec ſudent: Quum egro declinant, ingrediantur balneum, & balneentur cum aqua ad caliditatem declini, & cum aere calido: & embrochentur ſuper ipſos aquæ, in quibus decocta ſunt ſicut amaracum, & anethum, & ſiſimbrium. Et fricentur cum eis, quæ diximus, quæ abſtergunt poros, & mollificant eos. Et poſt ponatur in eis inunctio vſquequo ſudent; & fricentur, & balneentur cum aqua calida valde. Et oportet vt antecedat balneatio cum aqua, balneationem cum aere,* (vaporoſo ſcilicet balnei) *Deinde inunguntur cum aliquo ex oleis dilatantibus poros: & fundatur ſuper capita eorum ſicut oleum de anetho, & Keiri, & de Chamæmilla. Et cibentur leuibus, & aromatizentur. Et ſumant in potu vinum album, ſubtile commiſtum: & eſt melius eis, quam aqua, propter id quod eſt in eo de ſudatione, & prouocatione. Et inunctio cum oleo aliquo patientibus ex labore, eſt magis iuuatiua, quam patientibus ex ſoliditate.* Soliditatis nomine ſignificat hic Auicenna denſitatem cutis; quæ reperiri poteſt in corpore patiente febrem diariam tum ex frigore, tum ex balneatione in aquis aluminoſis;
f c. 40. 41. de qua ſtatim f agit Auicenna, curans illam ſimiliter alteran-

terantibus, & diæta, ſine mentione phlebotomiæ. Sic igitur in febre propoſita recte prohibitus fuit vſus phlebotomię ſecundum Auicennæ doctrinam.

Rhaſen in diaria ex frigore non mittere ſanguinem.
Cap. XX.

INter Arabes etiam Claſſicos Rhaſis Medicus inſignis in curanda febre Diaria ex infrigidatione ſolis vtitur alterantibus, & diæta, non ſanguinis miſſione, ſcribens ad Almanſorem *a* de febre ephemera, cuius primum vndeuiginti fere ſpecies enumerat ipſiſſimis verbis. *De febre Ephemera Cap.* 11. *Hac febris non habet periodos: ſed eſt vnius periodi tantum. Cuius propria ſignificatio eſt, quod neque cum rigore, neque cum horripilatione incipit: & quod antequam accedat, præcedat eam cauſa diuerſa ab eo ſecundum quod currit conſuetudo: ſicut ſuperfluus labor: aut ira: aut anguſtia: aut ſollicitudo: aut vini puri, vel multi potatio: aut quia diu ſtetit ad Solem: aut ſub aere frigido: aut in aqua frigidiſſima: aut quia calidum apoſtema, quod accidit propter caſum, vel percuſſionem, in corpore præceſſit: aut fit propter dolorem, qui in aliquibus contingit membris: aut propter repletionem ciborum multi nutrimenti: aut groſſorum oppilantium, aut vehementis caliditatis: aut propter forte faſtidium: vel propter frequentem ventris fluxum, & vehementem: aut propter multam moram in balneo: aut quia balneauit ſe in aqua inconuenienti, vt ſunt aquæ naturaliter calidæ: aut quia non balneauit ſe, vt conſueuerat: aut quia Medicinas calidas ſumpſit: vel quia multum comedit: aut propter coriʒam & rheumatiſmum: aut quia diu a comeſtione obſtinuit.* Poſt harum differentiarum diariæ febris, a varijs eius cauſis deſumptarum enumerationem, præmiſſis ephemerarum ſignis, & prognoſticis, deſcendens ad ſingula-

a l.10.c.2.

Digitized by Google

gularum proprias curationes, dum profert illam noſtri caſus, ait: *Quum autem aliquis hanc patitur febrem eo quod ſub frigido aere longam fecit moram, totum corpus eius a principio febris vſquequo ſedetur, ſæpe fricandus eſt, non tamen duriter. Quumque febris * caſſat, domum calidam balnei ingrediatur, in qua moram faciat donec ſudor egrediatur. Poſtquam autem ſudor egreſſus fuerit, corpus ex oleo tepido cum fricatione inungatur; donec ſudoris multitudo egrediatur, deinde ex aqua calida locus abſtergatur, & lotus indutus egrediatur; & eouſque dormiat, donec iterum ſudet. Poſt hæc in comeſtione cibos ſumat ſubtiles, ex quibus quod leue eſt, ideſt parum, comedat, & cum menſura ſumat. Vinum vero forte bibat. & ſi ex febre & fractione aliquid redierit, ad balneum & ad totum regimen, quod prædiximus redeundum eſt.* Itaque Rhaſes vniuerſam curationem ephemeræ febris ex infrigidatione perficit abſque ſanguinis vlla miſſione, ſolis lotionibus, frictionibus, vnctionibus, & recto regimine diætæ.

* ceſſat.

Auerroem curare febrem ephemeram abſolute, ſpeciatimque natam ex frigore, ſolis alterantibus, & recta victus ratione, ſine phlebotomia. Cap. XXI.

NEc ab alijs Arabibus in propoſito diſſentit Auerroes, dum ait a *De cura ephemerarum in vniuerſali. Et dicimus quod intentio medicationis in iſta duæ res exiſtunt. vna, ad remouendam calidam & ſiccam malam complexionem, quæ eſt in ipſius ſubſtantia. & hoc fieri debet infrigidando & humectando. Et alia, vt cauſæ extrinſecæ febrem facienti reſiſtatur: ob hoc, quia hæc febris nihil aliud eſt, niſi mala complexio non materialis, quæ vt plus a cauſis extrinſecis cauſatur. & menſura infrigidationis & humectationis in hac febre eſt ſecundum menſuram rerum particularium, ſicut eſt com-*

a 7. collig. cap. 5.

complexio, aer, ætas, conſuetudo, & regio, & cauſæ ipſam facientes. *Et ſcias quod refrigeratio in febribus per ſe, & per accidens fit: per ſe, ſicut per medicinas, & cibos frigidos; per accidens vero, ſicut balneari in aqua calida, aut tepida. Et maxime in hac febre fit, eo quod per ipſam in ſpiritualibus vapores diſſoluuntur: qui niſi reſoluerentur, corpus nimis inflammaretur, & fortaſſe ad putridam conuerteretur. Et propter hoc balneum eſt omnibus cura vniuerſalis. Sed inter aquam exiſtit diuerſificatio ſecundum diuerſitatem cauſarum facientium febrem. Et hæc febris ſecundum plurimum accidit propter cutis denſationem; quod pluries accidit propter frigus, aut propter in aquis ſtipticis balneationem, aut propter neceſſariam balnei negligentiam, aut propter totius corporis ſiccitatem, ſicut illis accidit, qui in aere calidiſſimo degunt. Et vere plurimum hæc febris accidit habentibus complexionem calidam & ſiccam*. Auerroes itaque febrem diariam in vniuerſali, maximeque prouenientem ex conſtipatione cutis ob frigus externum curat vnis alterantibus, balneoque potiſſimum, nulla facta mentione phlebotomiæ, ſine qua ſolo balneo curari dicit etiam ephemeram, quæ poteſt in putridam degenerare. Sed & infra *b De cura febris ephemeræ in ſpeciali* tractans, dum eam, quæ ducit ortum a frigore, curat, abſque ſanguinis miſſione ſolis alterantibus vtitur; ait enim, *Et quando propter multam accidit frigiditatem, balneum intret calidum; & balnei calidus aer vtilior exiſtit balneo aquæ. Et cibi temperati eſſe debent, aut ad caliditatem declinantes, vt turtures, coturnices, & ſimiles: & aqua mellis valde vtilis eſt. Caput vero talium oleo roſato inungatur & alijs actu calidis; quemadmodum alij frigidis in actu inungi debent. Et ſcias quod vniuerſalis medicina omnibus patientibus ephemeram, exiſtit balneum, exceptis patientibus rheuma propter frigus*. Auerroes itaque ſimiliter ephemeram ex frigore curat alte- b cap. 6.

Digitized by Google

rantibus tantummodo ſine ſanguinis miſſione. Quam non adhibet niſi diaria iam actu tranſeat in putridam, & ephemeræ naturam amiſerit, vel fuerit in corpore valde plethorico, quod præſeruandum ſit a putrida febre; quæ duo non habent locum in caſu noſtro, qui eſt de curanda febre ſimpliciter ephemera in corpore calido & humido, cum nulla mentione plenitudinis, aut præſeruationis. Verum de his infra luculentius.

Latini, præſertimque Celſus, & Patauinorum Saxonia, Sauonarola, & Capiuacceus diarias curant alterantibus, & diæta, reprobata, & omiſſa ſanguinis miſſione.
Cap. XXII.

POſt Græcos, & Arabes iam Latinos adeamus. Profecto Celſus diarias curat ſine phlebotomia, ſed ſola diæta, vel eas in quibus aliqua ſuſpicio eſt, ne degenerent in putridas; ait enim: *a Hæc magis per omnia genera febrium perpetua ſunt. Nunc ad ſingulas earum ſpecies deſcendam. Igitur ſi ſemel tantum acceſſit, deinde deſijt, eaque vel ex inguine, vel ex laſſitudine, vel ex æſtu, aliave ſimili re fuit, ſic vt interior nulla cauſa metum fecerit, poſtero die, quum tempus acceſſionis tranſijt, vt nihil mouerit, cibus dari poteſt. At ſi ex alto calor venit, & grauitas vel capitis vel præcordiorum ſecuta eſt, neque apparet quid corpus confuderit, quamuis vnam acceſſionem ſecuta integritas eſt, tamen quia tertiana timeri poteſt, expectandus eſt dies tertius: & vbi acceſſionis tempus præterijt, cibus dandus eſt, ſed exiguus, quia quartana quoque timeri poteſt. Et die quarto demum, ſi corpus integrum eſt, eo cum fiducia vtendum.* (Celſus. a lib. 3. c. 5.)
At vero quia prouocor ad Patauinos Autores, quaſi phlebotomiam laudent omnes in ephemera propoſita; iam eos adeamus. Ipſi ſane ſunt in duplici Claſſe; nam

alij

alij Patauini ſunt origine, alij aduenæ, qui Patauij Medicinam publice docuerunt: Indigenas antea conſulamus. Inter hos profecto maxime cluet Hercules Saxonia, qui de febribus ephemeris agens, eis abſolute ſanguinis miſſionem interdixit in hæc ipſiſſima verba: *Cauſa, propter quam vel huiuſmodi meatus externi, pori inquam totius corporis, aut venæ minores occluduntur, ſolet eſſe multiplex: Proponuntur a* c *Galeno lib. de cauſ. morb. cap. 7. in ambitu corporis duæ: vna, obſtructio: ſecunda, ſubſidentia: Obſtructio ab humoribus viſcidis craſſis: ſubſidentia autem ex triplici cauſa, ſiccitate, aſtrictione, denſitate: ſiccitas in atrophijs, febribus hecticis, maraſmis: Aſtrictio a quocunque medicamento aſtringente, ſiue extrinſecus, ſiue intrinſecus adminiſtretur. Denſitas ex cauſa frigida, ſiue cutis ex aqua frigida refrigeretur, aere, niue, &c. Vide* d *Galenum. Curatio autem facillima eſt, abſtineant a quacunque ſanguinis miſſione, quocunque etiam medicamento: Aluus quidem lubrica tenenda; ſed in ceteris nulla ſanguinis miſſio, nec medicamentum conuenit; tantum vt patientes reficiantur, conuenit cibus frigidus & humidus, non tamen excrementitius.* & mox: *Externa ſunt balnea, & inunctio.* Michael etiam Sauonarola Patauinus clari nominis agens de febribus ephemeris inquit *e* primum de curatione generali: *Tres ſunt canones generales; primus eſt remotio cauſæ; ſecundus remotio malæ complexionis calidæ ſiccæ; tertius eſt ſubtractio accidentium, ſi quid eſt tale. In complendo primum ſit canon primus, qui eſt ordinatio diætæ; & hæc quidem diuerſificatur ſecundum diuerſificationem cauſæ, faciendo dictam declinare ad contrarium ipſius cauſæ* &c. vbi nunquam meminit phlebotomiæ, nec euacuationis vllius; quam aperte prohibet in ephemera vera, concedens tantum in non vera, dum infra dicit; *De inanitione autem & repletione quid agendum, patet ex dictis; quum vera careat materia; non ve-*

Herc. Saxonia.
b de febr. cap. 1.
c l. de cau. morb. c. 7.
d 1. ad Gla. & 2. de criſib. cap. 12.
Sauonarola.
e cap. 6. rubr. 2.

ra

ra autem indiget euacuatione & digeſtione, vt ſtatim dicetur. Sed & in ephemera non vera nunquam adhibet phlebotomiam, at ſolum digerentia & euacuantia medicamenta, mox dicens: *Quod ſi fuerit non vera, quia ſcilicet materiam habebit; tunc oportebit ponere alios canones, quorum primus erit digeſtio, ſecundus euacuatio; quæ perfici debent ſecundum cauſæ ipſius oportunitates; vnde digeſtiua & ſolutiua tuo propoſito congruentia habuiſti ad plenum quinto capite. Et tu ibi etiam, quia hæc cura eſt attinens cura putridarum; ideo ſic pro nunc leuiter tranſiui, vt expectans ad curam putridarum. Secundus completur, & præcipue in vera, cum ſolis alteratiuis ad intra & ad extra applicatis*, &c. Sic ergo nunquam admittit ſanguinis miſſionem in ephemera vlla, ſed ſi ſit euacuandum in ſpuria, ſoluentibus medicamentis vtitur; veram diariam curat ſolis alterantibus: modo quæ propoſita fuit ad curandum Candidato noſtro, vera fuit ephemera ex infrigidatione, non ſpuria: Quam quidem veram propoſitam particulari curatione mox tractans ipſe Sauonarola, prætermiſſa miſſione ſanguinis ait: *In ea, quæ eſt ex frigore, conſimiles canones ſeruentur: vt primum reducantur ad aerem calidum & temperatum: deinde cooperiantur & caleſiant pannis in prouocationem ſudoris. Cibi ſint temperati aperitiui. Et vinum lymphatum in hoc caſu competit, propterea quod prouocat, & aperit. Et in declinatione competit balneum decoctionis camomillæ, ſeminum feniculi, & huiuſmodi. Et poſt ſudationem & declinationem, & non prius, vngantur; quoniam oleum opilat. Item capiti applicentur calida, vt anethum, camomilla, & huiuſmodi. Pectori autem & cordi temperata aperitiua, & declinantia magis ad frigidum. In ea, quæ eſt ex conſtrictione ab aquis ſtipticis, cura eſt proxima curis iam dictis: vnde ſollicitudo ſit in humectando. Et ideo competit balneum aquæ dulcis; & debent contrahere maiorem moram in eo: & in iſtis*

non

non datur vinum, niſi quando ſumus confiſi quod pori ſunt optime aperti: & debet tardari adminiſtratio oleorum & vnguentorum dubitando de opilatione. Sic ergo Sauonarola Patauinus in ephemeræ curatione nunquam adhibet ſanguinis miſſionem. Capiuacceus autem Patauinorum iubar a propoſitis minime diſſentit; nunquam in ephemera noſtra vera præſertim ex frigore, ac omnino cutis denſitate, ſanguinem mittens; nam etiamſi quandoq. phlebotomiam admittat, inquiens: *Poſtremo euacuatio totius probatur in ephemera ex obſtructione, & nauſeabunda ſatietate, & ſoliditate, ideſt repletione vel ſanguinis, vel alterius ſucci: licet igitur in ephemera quandoque ſecare venam, quandoque purganti medicamento vti, dum ſcilicet ſuccus vehementer peccat, putridamque minatur. Vtimur ergo illis remedijs vehementibus, non quod ephemera ſit vehemens, ſed quod humor vehemens ſit. Hæc de cura generali ephemerarum*. Tamen in cura particulari febris ephemeræ naſcentis ex infrigidatione, propoſita ſine mentione repletionis vllius vehementi, qualis noſtra fuit, abſtinet omnino Capiuacceus ab omni miſſione ſanguinis, & euacuatione, ſolis vtens alterantibus: ait enim g agens de ephemera ex anguſtia corporis, vel potius ex ſtipatione: *Ergo conniuentiæ & denſitatis cauſæ ſi ſint externæ, ſtipant qualitate; hacque vel prima, vel ſecunda: & ſi prima, eſt cauſa vel refrigerans, vel ſiccans, ſi ſecunda, eſt adſtringens: vt verbi gratia inter cauſas refrigerantes recenſere liceat aerem frigidum, balneum frigidum, medicamentum frigidum; inter cauſas autem ſiccantes, Solem feruentem, frictionem duram ſiccam, immoderatam exercitationem: tandem inter cauſas adſtringentes, balneum aluminoſum, oleum adſtringens* &c. Deinde monet ephemeram, quæ ex obſtructione magna fit, & phlebotomiam poſtulat, non eſſe reuera ephemeram, ſed nomine tantum, ac æquiuoce. Deinceps cura-

Capiuacceus.

f de febr. c. 11.

g cap. 14.

curationem afferens ephemeræ veræ, non ex obſtructione, ſed ex denſitate, vel conniuentia, non adhibet phlebotomiam; ait enim, *Hæc de prognoſtico: Quoad materias, id primum monere liceat, ſat eſſe has proponere cauſa ſtipationis ex obſtructione. Nam ſi ſtipatio fiat vel ex denſitate, vel conniuentia, curatio patet ex ſuperius traditis, & potiſſimum in ephemera ex labore; patebit etiam ex dicendis in cura ephemeræ ex Solis ardore; ſiquidem & vi laboris, & ardoris Solis ſtipatio ex denſitate & conniuentia promoueri poteſt*. Sed in curatione diariæ febris ex labore, pariter ac ex ardore Solis nunquam vtitur miſſione ſanguinis, at ſolis alterantibus, & recta diæta; vt aperte conſtat eius diligentem curationem vtramque legenti; quin omnem va-
h cap.13. cuationem improbat, inquiens: *h Quare breuiter quidem, ſed citra negligentiam præſidiorum materia proponenda. Auicennas ergo ſumma cum prudentia poſthabita materia vacuante vel ſanguinem, vel alios ſuccos, quum vi laboris ſit corpus potius exinanitum, reſpiciens potius materiam diateticam, in medium affert cibum, potum, balneum, inunctionem,
i cap.17. & quietem*. Itidem inferius *i* agens de Diaria ex Solis ardore, in eius cura ſcribit: *Quoad materias: A Galeno, & Auicenna nulla fit mentio de venæ ſectione, propterea quod non eſt opus venæ ſectione, nec ratione febris, nec ratione cauſæ*. Quum itaque Capiuacceus aſſerat ephemeram ex conſtipatione, ſiue ſit conniuentia, ſiue denſitas cutis facta vel frigore, vel ex alia qualibet externa cauſa, curandam eſſe prorſus ea ratione, qua curat ephemeram, tum ex labore, ſeu laſſitudine, tum ex ardore Solis exortam: Quumque ſimpliciter inhibeat in his vtriſque ſanguinis miſſionem verbis apertiſſimis; Quumque ſtatuat in diaria ex infrigidatione phlebotomiam non conuenire ratione febris, neque ratione cauſæ: iam certiſſimum eſt a Viro doctiſſimo venæ ſectionem in cura febris ephe-
meræ

meræ ex infrigidatione, conſtipationeque, penitus & omnino reprobari. Quare ſecutus eſt Candidatus noſter hortatu primi Promotoris inſignium Claſſicorum indigenarum Patauij doctrinam, dum ephemeram ex infrigidatione propoſitam, & ex conſtipatione dictam curari dixit, vitata ſanguinis miſſione, per balnea, & alia præſidia ſolum alterantia.

De ſententia Patauij Lectorum exterorum inſignium ephemeræ febri ex infrigidatione, conſtipationevè, non conuenire phlebotomiam. Cap. XXIII.

NOn abſimilem in propoſito noſtro ſeruere doctrinam viri magni nominis quicumque dudum in ſchola Patauina profeſſi cum laude celebrantur; etenim primo a Curtius, qui phlebotomiam ait adhibendam eſſe ſolis ephemeris ex opilatione genitis; reliquas omnes, adeoque prouenientes ex frigore meatus cutaneos conſtipante, monet eſſe curandas abſque miſſione ſanguinis, vnica diæta congrua, & remedijs alterantibus, cuiuſmodi recenſet balnea, & inunctiones. Poſt hunc Victorius Trincauela Venetus, in Patauino Lyceo Medicinæ practicæ profeſſor, inquit de propoſito: b *Quum nulla ipſam febrem ephemeram antecedat repletio, a qua illa aut efficiatur, aut foueatur; ideo per ſe quidem nullam vacuationis indicationem habet. Quod ſi aliquando in ephemera vacuandum, aut ſanguinem mittendum Galenus conſulat, vt octauo Meth. id non eſt propter diariam ipſam febrem, ſed propter aliquod aliud cum ea coniunctum, ac propter putridam febrem deuitandum.* Sed Candidato propoſita fuit curanda febris ephemera ſimplex ex infrigidatione, ſine mentione vllius coniuncti, quod phlebotomiam poſtulet, nec vlla ſuſpicio fuit iniecta imminentis putridæ. Neque

Curtius. a de febr. cur. c. 2.

Trincauel. b com. in 1. ad Glauc. cap. 3.

Digitized by Google

Galenus allato loco iubet mitti ſanguinem niſi quum iam diaria ſimplicem ſui naturam amiſerit, & in alium affe-ctum abierit; vt infra ſuo loco patebit. Quapropter ex Trincauellio recte repudiata fuit a Laureando venæ ſe-
Maſſaria. ctio. Conſimiliter Vicetiæ decus Maſſaria Patauij pridem Medicinam cum gloria docens, in ephemeræ propoſitæ curatione reſpuit ſanguinis miſſionem; ait enim tractans
c l 7.c.5.f. de febribus: c *Poſtremo loco febrem ephemeram contingit fieri per ea, quæ exterius accidunt; ficut per aduſtionem Solis, & denſitatem cutis factam ex frigore, vel balneo, vel alijs rebus adſtringentibus, quæ ſunt manifeſta. Itaque nos quoque Galenum, & Auicennam imitati, primum de ratione victus ſermonem habebimus* &c. Deinde poſt inſtitutam luculenter diætam ſubdit: *Dicimus alterum præcipuum remedium curandæ febris ephemeræ ad balneum pertinere, quod quotieſcunque*
d 7.de med. ſec. loc. c 11. meth. *ſimpliciter pronuncietur, ſine dubio, Galeno* d *autore, de balneo aqua dulcis intelligendum eſt, ac varijs illius partibus, viribus*, &c. Et infra, e *Si quis voluerit cum ratione*
e cap.7. *febrem ephemeram curare, is ex methodo Galeni debet ante omnia illius curandi indicationes ſibi elicere. Hæ autem, vt ſæpe diximus, quum potiſſimum deſumantur ex morbo; omnium primum neceſſe eſt, naturam huius febris memoria repetere. Hanc nos diximus eſſe calorem præter naturam accenſum in ſpiritibus cordis; morbumque ſimpliciſſimum eſſe, ſine ſymptomatibus; ac ſine cauſis, præterquam procatarcticis; Quare ex præcepto Galeni in lib. methodi, frequenter vnica etiam curandi indicatio nobis ſe ſe offert, nempe refrigerandi accenſos ſpiritus, & ſi libet, etiam humectandi, vt ſiccitatis quoque vel præſentis, vel imminentis aliqua ratio habeatur. Neque vero dubium eſſe poteſt, quin huiuſmodi indicationi liceat ſatisfacere, quum morbus ſit breuiſſimus & notiſſimus, adeo vt æger vnica die perueniat ad infebricitationem, ſtatimque ad victum, & munera ſua conſueta reuerti poſſit; dummodo*

do non aliquis error committatur, vel à Medico, vel ab ægroto, vel ab aſtantibus, vel aliqua re externa; aut præterea non ſit in corpore aliqua inſignis obſtructio, vel alia affectio, vnde febris poſſit & prorogari, & degenerare in alios morbos difficiliores. Ceterum præſidia, quæ refrigerant & humectant laborantes febre ephemera, duobus potiſſimum capitibus videntur contineri; altero, commoda victus ratione; altero, oportuno vſu balnei. Et iam videmus Galenum, Auicennam, & omnes in ijs duobus quammaxime verſari. Nam quatenus pertinet ad vacuationem, nullus eſt locus, nec ſectioni venæ, neque medicamentis. Quadruplici potiſſimum ratione ſolent corpora vacuari, niſi fortaſſe aut propter humorum plenitudinem, aut cacochymiam, inſignem obſtructionem, aut aliam cauſam, videatur imminere morbi magnitudo, ſine qua nunquam nec ſanguis minuitur, neque exhibetur medicamentum. Euacuatione, inquit Auicenna, non indiget aliquis eorum, niſi habent repletionalem oppilationem, & nauſeatiuam ſatietatem, & qui habet febres ephemeras ex ſoliditate, cuius corpus ſit repletum. Quum igitur Candidato noſtro propoſita fuerit curanda febris ephemera ſimplex ex frigore, vel ſi placet, ex conſtipatione, non autem ex oppilatione repletionali, nec ex nauſeatiua ſatietate, nullaque mentio facta fuerit inſignis obſtructionis; iam recte prohibita fuit venæ ſectio, totaque curatio tributa fuit alterantibus, & aptæ Diætæ; maxime quum venæ ſectio ſpiritus accenſos nec humectet, nec proprie refrigeret, qui ſoli duo ſcopi proponuntur a Maſſaria in curatione febris ephemeræ ſimplicis, cuiuſmodi noſtra fuit. Augenius etiam Clari nominis inter exteros Lectores Antenoreæ Scholæ, meorum præceſſorum vnus, agens ex profeſſo de miſſione ſanguinis, eam reprehendit in omni calida intemperie, quæ non ſit in humoribus, adeoque in ephemera febre; ſcribit enim: f *Exordior ab intemperie*

Augenius.

f 4. de ſang. miſ. c. 1.

Si adfuerit mala quædam temperies ſine materia, tum ipſam intemperantiam permutare, & alterare dumtaxat debemus: at ſi cum aliqua materia coniuncta fuerit; hanc primum vacuare, deinde vero intemperiem corrigere oportebit; licet plerumque ſatisfaciat ſola humoris vacuatio; quando ſcilicet intemperies non fuerit in partibus tenaciter impreſſa; remouetur enim tunc illa ex procreantis humoris vacuatione: at ſi fuerit impacta, poſt euacuationem ſequi debet alteratio, qua in contrarium ſtatum mutetur. Hic etiam præſtat recenſere intemperiem varijs modis remoueri: vel enim facta eſt, & confirmata vel futura eſt: vel partim facta, partim futura: quæ facta eſt, ſimplicem & exactam curationem exigit; quæ fit, curationem prophylaſtica permiſtam deſiderat: vt exempli gratia, curatio ſimpliciter eſt, vt quum febrem in habitu balneo humectante & refrigerante ſanamus: aut febris ardentis feruidam illam intemperiem potu frigidæ curamus. Curatio vero cum præſeruatione facta eſt, quando in quartana vtimur medicamento expurgante atram bilem, & in tertiana bilem flauam ſcamoneo purgamus; nam ex hoc futuram occaſionem prohibere intendimus. Hæc ſi vera ſunt, patet intemperiem ſimplicem minime poſtulare ſua natura euacuationem aliquam, nedum illam, quæ fit vena ſectione. Si enim nullus humor ſubeſt, a quo fouetur illa, cur vacuatione vtendum eſt? Quæ ſanationis ratio eſſe poteſt, ſi vacuetur, quod in corpore expediret retineri? Aliud ſane remedium eſt vacuatio, aliud alteratio: illam ſemper indicat copia, hanc autem qualitas. Qui hæc non diſtinguunt, errore turpi medicæ artis fundamenta confundunt. Quicquid ab alio indicatur, id ſemper indicatur pro natura indicantis; quia igitur naturæ indicantes diuerſæ ſunt, atque contrariæ: vt abundantia, & inanitio; indicata etiam erunt diuerſa: abundantiam ſanat inanitio; inanitionem curat abundantia. Qui ergo imaginabimur intemperies ſine humoris præſentia ſanari poſſe vacuatione? Hæc in vni-

vniuerſali oſtendunt, nullam intemperiem ſimplicem poſtulare vacuationem. In particulari vero ſanguinis miſſionem non conuenire intemperiei calidæ, hæc demonſtrabunt: Primum nulla eſt intemperies calidior ipſa febre, vt quæ maximè videatur referre naturam ignis; vt ex Galeno demonſtrauimus libro primo noſtræ tractationis de febribus. Huius morbi indicationes dum Galenus proſequitur libro octauo methodi medendi, & alijs in libris frequentiſſime, dicit indicari dumtaxat refrigerationem & humectationem; propterea aquam frigidam eſſe perpetuum remedium febris, quatenus febris eſt; nunquam vero ab illo ſcriptum fuiſſe memini, remedium eſſe vacuationem; ac multo minus remedium eſſe venæ ſectionem: Alioquin conueniret in omni febre in habitu; in qua tamen abſtinendum eſſe ab hoc remedio adeo verum eſt, vt nihil verius. Cur præterea non mittitur ſanguis in omnibus ephemeris? Cur Galenus eos deridet, qui phlebotomiam in omni febre exerceri debere voluerunt? verba illius ſic habent aduerſus Eraſiſtrateos Romæ degentes: Sed qui noſtra tempeſtate febres cunctas venæ ſectione indigere putant, non mediocri hercle noxa ægros afficiunt: Hæc ille. Quæ ſi clariſſime demonſtrant non conuenire venæ ſectionem in omni febre; multo certe apertius oſtendunt, neque in alijs intemperiebus calidis conuenire. Scribamus hoc loco quid Franciſcus Carochus Fulginas, illuſtris in Vmbria Medicus, & mecum multis amicitiæ vinculis coniunctiſſimus, putauerit reſpondendum. Sentit ille non eſſe mittendum ſanguinem in omni temperie calida, ſed in ea duntaxat, quæ magnus ſit morbus, vt pote quæ in ſuo genere maxime excedat; admittens nunquam vigere indicationem de ſanguine mittendo, niſi morbus excitetur magnus. &c.
Sic igitur Augenius miſſionem ſanguinis improbat in febre, quæ non ſit morbus magnus in genere intemperiei, quæque non innitatur materia humorali. Quum ergo diaria in genere intemperiei morbus exiſtimus exiſtat, &

non

non fundetur in humoribus, at in ſpiritibus; iam Angenius aperte reprobat eductionem ſanguinis in propoſita febre diaria ex infrigidatione. Licet inferius admittat venæ ſectionem in ephemera ex obſtructione magna cum inſigni repletione, cuiuſmodi non eſt Candidato propoſita. Qua de re latius infra. Sic igitur inhibere ſanguinis miſſionem in curatione, febris ephemeræ, ex infrigidatione, ſiue ſi placet, ex conſtipatione, non eſt hæreſis in Medicina, neque contra ſententiam inſignum Patauij Doctorum, ſed celeberrima veterum Claſſicorum omnium doctrina, Patauinorumque Lectorum inſignium communis opinio.

Ephemera febri ex infrigidatione, ſeu ſi placet, ex conſtipatione genitæ, non conuenire ſanguinis miſſionem, ad præſeruationem, de Galeni mente. Cap. XXIV.

Alterius vero Cl. Promotoris opinio, ſtatuens ephemeræ febri ex infrigidatione, ſeu ex conſtipatione propoſitæ, conuenire ſanguinis miſſionem, ſi non ratione curationis, atque per ſe primo, ſaltem ſecundario, ratione præſeruationis, vt impediatur ne degeneret in putridam: prima fronte quidem videtur veritati conſentanea; ſed intime perſpecta rei natura mihi recipi non poteſt; etenim Galenus, Auicennas, & omnes Claſſici recta ratione ducti phlebotomiam reprobãt in omni diaria ſimplici, ac vera, qualis eſt propoſita noſtro Laureando; ſolum admittunt in ephemera ſpuria, dum iam exuens naturam diariæ mutatur in aliud genus morbi; quæque ducit ortum ex inſigni obſtructione propter humorum vel copiam, vel craſſitiem, ac viſciditatem. Verba Galeni clariſſima ſunt, dum ait: a *Quo pacto diaria febris ex obſtructione curanda ſit. Etenim ſi propter obſtructionem aliquan-*

a 8. meth. c. 4.

quando (vt dictum eſt) morata tranſpiratio eſt: ſi parua ea ſit, qui recte deterſerit, ſecundam fore acceſſionem vetabit: ſin momentanea, non poſſis promittere. Quod ſi & multi, & craſſi, & glutinoſi impacti ſucci ſint; quæ hos excipit febris, fieri non poteſt vt intra fines diariarum conſiſtat: quando ex neceſſitate huic in mali ſucci naturis, ea quæ ex putredine humorum accenditur, ſuccedet. Nam in alijs ſaltem temperamentis, quæ in ſequentibus exponam, excitari, ex tali cauſa poteſt citra humorum putredinem aliqua continentis febris ſpecies. Quibus triplicem affert Galenus obſtructionem febris feracem, vnam quidem paruam, aliam autem momentaneam, tertiam vero magnam, quæ prouenit ex humorum copia multa, craſſitie, atque viſciditate. Statuitque Galenus ex obſtructione parua febrem ephemeram exortam curari ſolis detergentibus, abſque miſſione ſanguinis, quibus vnis impeditur ne poſt primæ diei acceſſionem ſecunda fiat. At ephemeram ortam ex adhuc minori obſtructione, quam momentaneam dicit, abſque remedijs a natura morborum *b* medicatrice ſtatim curari monet, adeo vt vel ſine vllo præſidiorum vſu tibi promittere non poſſis timereve ſecundæ diei acceſſionem. Quare in his duabus ephemeris ex obſtructione natis, vbi naturam ſuam non mutarint, nullam adhibendam cenſuit ſanguinis miſſionem. Tertiam vero febrem, ex magna obſtructione genitam, facta propter humorum multitudinem, & craſſitiem, & lentorem, ait non eſſe ſimplicem ephemeram, ſeu non conſiſtere in ephemerarum genere; poſtulareque ſanguinis miſſionem: idque conuenire quoque febri ex parua obſtuctione humorali, ſed vbi ſimilis tantum ephemeræ ſit, non pura diaria, dum ſcilicet vtraque non amplius ephemeræ naturam obtinet, ſed eam exuta morbus eſt anceps inter ephemeram & putridam, ac omnino diuerſi generis, ad

b Hipp. 6. epid. ſect. 5

ſum-

ſummum febris continens, ac ſynochus imputris, & ephemera ſpuria, & affectus anceps. Addit enim immediate Galenus: *Porro capere eiuſmodi ſermones omnino non poteſt, qui prius in memoratis operibus non ſit exercitatus, ac potiſſimum in eo, quod de febrium differentijs inſcribitur. Nam vbi obſtructio quæpiam mediocris eſt, ob quam febricitant, quibus vitioſus eſt ſuccus, in prima die, atque etiam ſecundi aliqua parte, nullum eſt in pulſu putredinis ſignum, atque vt nec cruditatis in vrinis. Protracta tamen inclinatione, nec amplius proxatione, ſicut poſt ſummum vigorem inceperat, cedente, ſuſpectus affectus eſt, veluti e diuerſo, in quibus ad ſolutionem feſtinat, vel halitus aliqui, vel ſudores oxurunt, vel multa bona vrina, cum ſignis in pulſu bonis, in ijs procul dubio diaria febris eſt. Sed quæ ex parua oritur obſtructione, ea (vt dictum eſt) ſaltem inter initia, ſimilis diarijs eſt. Protracta tamen inclinatione, ſuſpecta redditur, quamuis putredinis indicia in pulſu adhuc non appareant. Quippe niſi vitioſus ſuccus penitus tranſpiret, neceſſe eſt putreſiat. Ergo vt tranſpiret, maiore iam auxilio eſt opus. Ac ſi quidem vel puer, vel ſenex ſit, ſanguinem detrahere non licet. Inter has ætates, vbi robur ægro non deeſt, ſecanda vena eſt, etiamſi plenitudinis ſigna non adſunt. Præſtat enim vitioſi ſucci maiori parte emiſſa, ad detergendas obſtructiones accedere; quum alioqui metus ſit, ſi obſtructionibus liberandis prius, quam vacuaueris, ſtudeas, ne ipſas magis impingas*, &c. Ex quibus apertiſſime conſtat, Galenum præſcribere ſanguinis eductionem tribus, aut quatuor tantum rationibus: tum vbi diaria fiat ex obſtructione non momentanea, ſed magna, vel mediocri, vel etiam exigua, licet in corpore latentis plenitudinis indicia non appareant: tum in corpore referto vitioſis humoribus, tam multitudine, quam craſſitudine, glutinoſa ve qualitate peccantibus, obſtructionem illam promouentibus: tum vbi fe-

bris

bris tranſacta prima die, ſecundęque diei parte, non eſt vera diaria ſimplex, ſed tantum diariæ ſimilis: tum vbi morbus proprie non eſt febris ephemera, ſed affectus anceps inter ephemeram & humoralem medius, induens naturam ſynochi; quem affectum genere differre ab ephemera, quæ in ipſum mutatur, euidentiſſime Galenus edocet inferius, vt videbimus: Profecto Galenus nunc in ſingulis iſtis ait vtendum eſſe, non ſolis detergentibus, at ad valentius remedium accedendum eſſe, quod eſt ſanguinis miſſio, qua detrahantur humores, qui copia ſui nimia, craſſitieque, ac glutine poſſunt obſtructionem augere, febrem putridam promouere. Ceterum in caſu noſtro nihil iſtorum indicantium phlebotomiam, locum habet: In primis enim Galenus hic agit de diaria ex obſtructione, facta ab humoribus occupantibus nimia ſua multitudine, ac impedientibus meatus, per quos debet fieri fumoſarum fuliginum tranſpiratio; quorum humorum pars educitur ſanguinis miſſione. Sed febris ephemera ex infrigidatione, nobis ad curandum propoſita, nullos humores habet, qui nimia ſui multitudine pariant meatuum illorum obſtructionem; at ortum ducit ex mera conſtrictione meatuum citra præſentium humorum, facta frigoris vnius actione: longe ſiquidem aliud eſt, vel Galeni *d* decretis, vt *e* oſtendam, meatus adſtringi, conniuere, ſeu denſari vi frigoris abſque materiei vllius eos replentis interuentu; quæ conſtrictio, ſeu conniuentia, denſatiove ſola locum habet in caſu noſtro diariæ ex infrigidatione: & aliud meatus obſtrui corpulentia cuiuſpiam humoris, eos infercientis; de qua obſtructione non momentanea, ſed mediocri, & inſigni ac ſi placet etiam parua, loquitur in præſentia Galenus: etenim illa pura meatuum adſtrictio virtute frigoris externi, ſine ſuccorum impactorum corpulentia multa craſſa

d 9. meth. c. 1.
e cap. ſeq.

& viſcida replente poros, nihil habet adiumenti ex venæ ſectione, ſed potius multum detrimenti; quia miſſio ſanguinis vniuerſum habitum corporis refrigerat, adeoque auget cauſam febris ex infrigidatione genitæ. Sed vbi febris diaria fit ex obſtructione propter humores impactos meatibus ; tunc certe venæ ſectio conferre poteſt, retrahens humores ab obſtructionis loco, ſiue prohibens ne noui ad eum influant, obſtructionem adaucturi. Quum itaque diaria febris ex infrigidatione propoſita, non habuerit ex eo frigore niſi meatuum adſtrictionem, conniuentiam, addenſationemve; non autem proprie dictam obſtructionem, conſtipationemve per humores impactos meatibus; iam ab eius curatione canonice procul abacta fuit phlebotomia, tanquam importuna, & valde noxia. Deinde vero Galenus agit in præſentia de ſanguinis miſſione in corpore diariam habente, *cui & multi & craſſi & glutinoſi ſucci ſunt impacti*, qui ſanguinis eductione minuuntur, & ab obſtructionis loco retrahuntur: Modo febris ephemera curanda propoſita fuit in homine conſiſtentis ætatis, ac temperamenti calidi & humidi, nulla facta mentione ſuccorum, neque copia redundantium, neque craſſitie, neque viſciditate peccantium; & curatio fuit adhibenda corpori, quale proponitur. Iam vero ſuccos iſtos & multos & craſſos & glutinoſos in eo patiente producere non valuit cauſa febris infrigidatio, vel ſi placet etiam mera conſtipatio: Neque multi ſupponi debuerunt in corpore temperamenti calidi & humidi, nulla facta mentione plenitudinis ab Excellentiſs. Viro caſum proponente; ſiquidem Auicennæ decreto, *f* quælibet complexio, ſiue ſimplex, ſiue compoſita fuerit, adeoque calida & humida, poteſt eſſe tam ſine materia peccantis humoris, in ſola qualitate mediocritatem excedente conſiſtens, quam cum materia

f 1. primi d. 3. c. 1.

ria redundantis humoris: ait enim diſertis verbis: *Compoſita autem ſunt complexiones, in quibus fit egreſſus ab æqualitate ſecundum vtraſque contrarietates: veluti ſi ſit complexio calidior, & humidior ſimul, quam oportet: aut calidior, & ſiccior ſimul, quam oportet: aut frigidior, & humidior ſimul, quam oportet; aut frigidior, & ſiccior ſimul, quam oportet: non enim poteſt eſſe frigidior, & calidior ſimul: neque ſiccior, & humidior ſimul. Vnaquæque autem harum octo complexionum aut eſt ſine materia: quod quidem eſt, quum complexio corpus qualitate ſolummodo afficit, ita quod corpus hac qualitate non afficitur propter humorem in ipſum penetrantem, qui hanc habeat qualitatem, ad quam immutatur corpus; neque fiat niſi ſicut cum calidatate eius, qui calefit ad ignem; aut frigiditate eius, qui ad niuem infrigidatus eſt: aut eſt cum materia; quod quidem eſt, quum corpus non afficitur qualitate huius complexionis, niſi propter vicinitatem humoris in ipſum penetrantis, in quo hæc qualitas ſuperabundans; exiſtit quemadmodum quum corpus humanum cauſa vitrei phlegmatis infrigidatur, aut cauſa cholerici humoris praſini calefit.* Et quis Medicus neget, corporum temperamenti calidi & humidi alia eſſe plethorica, & alia non plethorica ſine ſuccorum excedenti plenitudine? Quum igitur ephemera curanda propoſita fuerit in corpore temperaturæ calidæ ac humidæ, nulla facta mentione plethoræ, ſuccorumve multitudinis; iam Candidatus vllam humorum abundantiam in propoſito ſibi corpore curando ſupponere non debuit. Quinimmo, vel ſuppoſita qualicumque in eo corpore multitudine, non debuit ad eam tollendam vti neceſſario miſſione ſanguinis ex doctrina Galeni; tum quia Galenus hic adhibet phlebotomiam in multitudine humorum craſſorum, & viſcidorum, qui non coaceruantur in complexione calida & humida, ſed in frigida: tum quia Galenus alibi non ſemel

plenitudinem curari dicit abſque ſanguinis miſſione, tra-
g cap. 10. ctans ex profeſſo *g De curandi ratione per ſanguinis miſſionem*: dum ait primo: *Geminam me vacuationis viam proponere noſtis: per venæ ſectionem quidem, ſi in victu ſunt intemperantes: citra hanc, ſi temperantes. Licet enim frictionibus multis, balneisque, & ambulationibus, alijsque motionibus, ad hac vnctionibus digerentibus celeriter plenitudinem exhaurire, ſi vtique videbitur non eſſe craſſi ſanguinis abundantia.* Quæ certe non eſt in corpore temperamenti calidi & humidi propoſito; de quo nulla fuit intemperantiæ nota pronunciata. Quare bene repudiata miſſione ſanguinis, ipſum curauit balneis, frictionibus, & vnctionibus appropriatis, Laureandus. Alibi quoque Ga-
h in 4. de vict. acut. t. 19. lenus ait: *h Neque etiam plethorica facta ſyndrome ſanguinem ſemper mittimus, ſed & frictione; & balneis multis; & abſtinentia, quæ tribus, vel quatuor diebus fiat, ad id, quod naturale eſt, reuocamus. Verum de his abunde tum in libro de Plenitudine, tum in libro de ſanguinis detractione eſt pronunciatum, præterea & in libro de morbis curandis.* Profe-
i l. 13. c. 6. cto in libro Methodi medendi legitur, *i Ergo plethora tum ſanguinis miſſione curatur, tum frequenti balneo, tum exercitatione, tum frictione; præterea digerentibus medicamentis: & præter hæc omnia inedia.* Quare non tactam plenitudinem in ægrotante Diaria, proindeque leuem, ſine ſanguinis detractione curauit optime Laureandus balneis, frictionibus, & digerentibus inunctionibus; nam phlebotomia ſoli magnæ plenitudini conuenit; & ſi non
k 4. acut. 19 ſemper, vt nuper ex Galeno *k* vidimus; quum plethora ſyndromen indiciorum obtinens exigua non ſit, ſed ſupra mediocritatem. At vero non eſt vlla plenitudo concedenda febrienti noſtro; licet ad maiorem opinionis noſtræ confirmationem, & diſputationis ergo, plethoram non conceſſam dare placuerit. Multo minus in eo

fe-

febriente ſibi propoſito Laureandus debuit, potuitve ſupponere ſuccos multos & craſſos, & glutinoſos ſimul, quarum ratione *l* Galenus in ephemera ex obſtructione 18.meth. ſanguinem mittit, tum quia generantur hi, coaceruan- c.4. turque, non in corpore calidæ ac humidæ complexionis, verum in obtinente frigidam & humidam temperaturam; quo nomine dicebat Hippocrates, *m Cerebrum ſedes & metropolis eſt frigidi & glutinoſi. Calidum vero pinguis ſedes & metropolis eſt:* tum quia ſuccus vitioſus huiuſmodi non propoſitus in patiente a Cl. Doctore, curationem ephemeræ poſcente, non debuit a reſpondente Candidato ſupponi. Quare neque debuit, neque potuit ex arte curans ephemeram ex infrigidatione in viro conſiſtente complexionis calidæ ac humidæ præſcribere ſanguinis eductionem ex Galeni mente; potiſſimum quia conſiſtentem ætatem Auicennas *n* cum Galeno ponit ceteris omnibus qualitate calidiorem. Denique Galenus hic *o* imperat miſſionem ſanguinis in febre, quæ non eſt amplius ephemera, ſed ephemeræ ſimilis, atque ſuſpectus quidam affectus, in quem iam ephemera degenerauerit, omnino febrem continentem appellatam, ſiue ſynochum imputrem, quæ non amplius conſiſtit in accenſione ſpirituum, qualis eſt ephemera vera, ſed in ſupercalefactione ſanguinis ac humoreæ maſſæ, venoſum genus implentis. Dum igitur ad curandum propoſitus eſt Candidato Vir laborans ephemera ex infrigidatione, quæ pura eſt diaria; iam non erat vt Laureandus eam curaret quaſi continentem, ac ſynochum imputrem, morbum ſuſpectum, & ancipitem inter veram diariam & putridam, ſanguinis miſſione.

m l. de carnib.

n 1. primi d.4.c.3.

o 8 meth. c.4.

Eadem doctrina colligitur ex alio Galeni loco, decernentis eductione ſanguinis curari non ſimplicem ephemeram, ſed morbum conſtitutum in tranſitu diariæ ad putridam, re diſtinctum ab vtraque. Cap. XXV.

LVculenter autem excolit Galenus propoſitam doctrinam, qua præſcribitur eductio ſanguinis per venam ſectam, in curatione, non diariæ ſimplicis ac veræ, ſed in affectum ab illa reipſa diſtinctum, in quem ipſa mutatur, dum actu degenerat in febrem putridam; qui quidem affectus aliquando per abuſum nominis ephemera nuncupatur; quod habeat naturam genericam eandem cum diarijs, eo quod ſit calor igneus in materia non actu putreſcente; ſed formam ſpecificam diuerſam obtineat a diarijs, quod illæ ſint in accenſione ſpirituum conſtitutæ, ſed is in accenſione ſanguinis & humorum, dum his

a 9. meth. c. 1. plane verbis vtitur inferius: *a Diariarum, o Eugeniane, curationem in libro, qui hunc præcedit, expoſui, totius propoſiti operis octauo. Eſt autem huius febrium generis vnica acceſſio, vno plurimum die ex ipſius ſaltem natura circumſcripta. Quippe quæcunque vel per Medicorum ignorantiam, vel ægrorum intemperantiam, vel miniſtrorum errorem, in eiuſmodi febribus commiſſa, in aliud ipſas genus transferunt, hæc ſuæ naturæ ſponte non incidunt. Non enim eſt profecto mirum, ſi per ea, quæ delinquuntur, non ſolum porrigatur, aut in aliud genus tranſeat morbus; ſed etiam, quum prius non eſſet, nunc excitetur: Nam quum ijs, qui integri ſunt, delinquere non ſit tutum; haudquaquam id ægris ſine diſcrimine contingat. Reliqua vero quum ſint genera duo (veluti in libris de febrium differentijs eſt oſtenſum) alterum ex humorum putredine naſci docuimus: alterum, quod iam ſolidas animalis particulas occupauit, hecticum nomi-*

minant. Tranſeunt ſæpe autem diariæ febres, veluti ſuperius oſtendimus, in vtrumque genus, niſi quis eas commode tractet. Veluti autem in ceteris rebus omnibus, quæcunque vno genere comprehenſæ ſocietatem in naturis habent, ac propterea mutuo in ſe tranſire valent, tertia quædam formula in tranſitu ipſarum exiſtit, quæ neutrius extremitatum formam plane exhibet; ita nimirum & in diariarum febrium tranſitu imagineris licet, alterum quoddam genus in tranſitu exoriri, quod neutri extremitatum ſit idem. Ac primum quidem de hoc diſſerendum eſſe mihi videtur: quo, ſicuti reliqua, etiam ipſum tum protinus noſcatur, quum incidit: tum ſic inhibeatur in primo ortu, ne aut ægre ſanabile, aut inſanabile poſt quam auctum eſt, euadat. Ceterum medium id quum inciderit, nec noſſe ij poſſunt, nec ſanare, qui extremitatum, quarum eſt medium, ſpeciem ignorant. At tibi; qui præſertim non ſolum diariarum, ſed etiam reliquorum duum generum notas intelligis, vbi vel diariarum notæ aliquatenus ſunt alienatæ, vel reliquarum notæ ſimul apparent, haud difficile fuerit iam tranſitum ſuſpicari. Ergo ex aduſtione, cruditate, laſſitudine, vigilia, animi perturbatione, vel bubone, qui ex euidenti aliqua ſit cauſa, nunquam ad tertium vſque diem progredietur febris acceſſio, niſi quid delictum circa laborantem ſit. At quibus ſtipatio febris occaſio eſt, ijs etiam vltra hos porrigi acceſſio poteſt. Nam quoniam ſtipatio vel obſtructis exilibus meatibus, vel conniuentibus, vel etiam corpore ipſo immoderatius denſato accidit, merito, arbitror, diximus ex frigore & balneo, quæ vel contactu refrigerent, vel facultate; præterea pharmacis ſimilis generis: pari modo ijs, quæ cutem ſiccent, veluti Sole feruente: nec minus etiam ijs, quæ denſent, veluti dura cum ijs, quæ frigefaciant, frictione, & detineri intra corpus ceu fumida fuliginoſave excrementa, & ab ijs febrem accendi. Verum ex his denſationem quandam corporum ipſorum fieri, ac veluti exiguorum meatuum conniuentiam. Obſtru-

ſtructionem vero vel propter glutinoſos, vel craſſos, vel copioſos ſuccos incidere. Quin etiam febres, quaſcunque vel conniuentia meatuum, vel recens corporum denſatio excitant, has & deſiſtere poſt primam acceſſionem, ſi quis recte eas tractet; & vere diarias tum eſſe, tum appellari: At, quæ ex obſtructione creantur, ſi hæc puſilla ſit, ſolui ipſas quoque ſimiliter, vt alias diarias; ſi quis eas legitime ſanet. Sin valenter impacti humores ſint ſic, vt valentius aliquid, quod eos eximat, deſiderent; eas febres porrigi vltra vnum diem neceſſe eſt, ac diariarum febrium genus videri egreſſus. Quomodo enim dici vltra diaria febris poteſt, quæ in tertium vſque diem extenditur, quando ex ipſa nominis ratione in ſecundo eam deſiſtere par erat? Dictum enim ſupra eſt, viginti quatuor horas ſic appellatæ diei ſpacium: vtique vt cum nomine diei nox quoque vna comprehendatur. Atqui ſi neque humor putreſcens ſubſit; nec corpus ipſum febrilem calorem, vt habitum, ſuſceperit, a duobus generibus diuerſum ſit. Aut ergo aliud præter tria iam dicta genus eſſe in prima febrium diuiſione dicendum eſt: aut appellatione pro nihilo habita diarias ipſas nominare oportebit. Neque enim profecto de ſubſtantia ipſa talium febrium eſt diaria vocabulum. Verum conuenienti nomine deſtituti clarioris ſimul breuiorisque doctrinæ gratia, ab eo, quod ſæpius eis accidit, nomen indidimus. Ac natura quidem eadem his eſt, quæ diarijs, nomen autem non idem. Ita ſane Galenus: ex quibus apertiſſime conſtat, eum præſcribere miſſionem ſanguinis, non in diaria vera, dum adhuc eſt ſub forma febris ephemeræ, ſed ſolum in ephemera ſpuria, nimirum in media quadam febre, quæ ſuboritur in tranſitu veræ diariæ febris in putridam; quæ quidem febris media inter diariam & putridam diuerſæ ſpeciei eſt ab vtraque, tam diaria quam putrida; nec appellatur proprie diaria, ſed per abuſum nominis; eo quod quum ſine putredine ſit accenſio mera ſanguineæ maſſæ,

na-

naturæ communionem quandam genericam obtineat cum ephemeris, a quibus ſpecifica differentia diſſidet humorum accenſorum. Et reuera Galenus toto eo li- p 9.meth.
bro De ſpurijs diarijs agit, quæ proprie ſynochi ſunt imputres duplici nomine febres appellantur; quum de Diarijs proprie dictis admoneat ſe q locutum prius in præce- q 9.meth.
denti libro octauo. Quum ergo propoſita fuerit curan- c.1.init.
da Candidato noſtro febris ephemera ex infrigidatione, ſeu ſi libet ex conſtipatione; debuit his curationem afferre veræ diariæ, non ſpuriæ, qualis eſt ſynochus abſque putredine; nam audito nomine febris ephemeræ ſimpliciter enunciato, febris ephemera vera in ſimplici ſua natura debet intelligi, non autem affectus medius inter ephemeram & putridam, & anceps. De quibus febribus ancipitibus inter diarias & putridas, in ſui curatione ſanguinis eductionem poſtulantibus inferius agens Galenus inquit: r *Erat vero in præſenti diſputatione propo-* r 9.meth.
ſitum de ijs febribus diſſerere, quæ ex ſtipatis per obſtructio- c.5.
nem meatibus oriuntur. Quas, ſi ſine putredine conſiſtant, ex diariarum eſſe genere dixi. Sin ijs putredo aliqua vel ab initio ſtatim, vel poſtmodum ſuperueniat; vbi in omnibus venis ac præcipue magnis ea conſtitit, continentes excitari febres: vbi in vnica animalis parte, febres, quæ certo ambitu accedant. Verum de his poſtea. Quod autem & bis, arbitror, & ter, & ſæpius, iterumque dicendum eſt, qui ita laborant, ſi recte curabuntur, ijs ſanguinis miſſio eſt adhibenda: quando quibus corpus ex ſuccorum abundantia inhabile ad tranſpirationem iam redditum, tantum calorem congeſſit, vt inde iam febricitet, ijs tantum ſanguinis eſt detrahendum, quantum vires tolerant. Quibus phlebotomia præſcribitur, non diariæ ſimplici ex refrigeratione, ſed continenti putridæ, vel ad ſummum ſynochæ in putredinem labenti cum ſuccorum abundantia coniunctæ. De quibus inferius adhuc agens

Digitized by Google

ſ 11.meth. c.6. Galenus, inquirit, ſ *Quid commune habeant continentes febres cum diarijs, & reliquis, quæ ex putredine oriuntur. Siquidem, quum huiuſmodi febris communia quædam cum ambabus habeat; tum ijs, quæ ex humorum orta putredine circuitibus quibuſdam acceſſiones habent: tum ijs, quas diarias vocamus; merito in vtroque genere de ipſa mentionem facimus: quum vnicam acceſſionem habeat, vt diariæ; ceterum ex putredine orta multos duret dies. Itaque vnum cum diarijs commune habebit: duo cum ijs, quæ ex putredine orta multos durant dies. Reliquum continentium febrium (quas ſynochas vocant) genus duo habet cum diarijs communia; nempe & quod ſine putredine ſit, & quod abſque circuitu: tertium vero commune non eſt, quum ſubinde in quintum porrigatur diem. Atque harum quidem continentium febrium prodita prius curatio eſt. Continentium vero, quas putredo excitauit, curatio, quum vtrique generi communis eſſet, etiam nos in ambobus de ipſa differere coegit.* &c. Quibus euidens eſt, Galenum præſcribere ſanguinis miſſionem ſolum diariæ ſpuriæ, quæ propriæ ſynochus & continens eſt abſque putredine, ortum habens ex obſtructione meatuum facta propter humores & multos, & craſſos, & viſcidos; non autem veræ diariæ, quæ naſcitur ex frigore meatus cutaneos conſtipante, nobis in curationem propoſita.

Auicenna mittere ſanguinem itidem ſolum in ephemera ſpuria, ex obſtructione, ſiue oppilatione, propter humorum craſſorum abundantiam & ex nauſeatiua ſatietate, ac repletione, non autem in vera ex infrigidatione. Cap. XXVI.

GAlenum in propoſito ſecutus Auicenna, ſanguinem mittit in ephemera ſpuria, quæ ducit ortum ex oppilatione, facta propter abundantiam humorum craſſorum,

rum, non autem in vera, quæ genita fuerit ex frigore; dicit enim de ſpuria: *a Oppilationes fiunt in poris cutis propter ſpiſſitudinem eius, & paucitatem ablutionis, & multitudinem ciborum, & propter frigiditatem. Et propter ablutionem cum aquis frigidis ſtipticis: & propter aduſtionem Solis. Et quandoque fit in vijs venarum, & meatibus earum, & orificijs ipſarum, & curſibus, & vijs eorum. Et quum dicitur febris ephemera ex oppilatione, non inuenitur niſi ad hanc ſpeciem. Nam plurimum accidit, vt minoretur reſolutio, & multipliciter repletio, & coarctatio; & priuetur reſpiratio, & aggregetur vapor plurimus, & non reſoluatur; & tunc eueniat caliditas ſuperflua: & dum perſeuerauerit eius inflammatio in * debiliori ex corporibus, quod eſt ſpiritus, erit febris ephemera.* Quibus Auicennas aperte primum ait, Oppilationem in poris cutaneis oriri propter multas cauſas; primam affert cutis ſpiſſitudinem, hoc eſt addenſationem: ſecundam ponit paucitatem ablutionis; quum enim conſueuerint antiqui ſæpe ſe balneis lauare, nimirum quotidie, ſordeſque corporis detergere, ad cutis perſpirationem; qui rarius lauabantur, aggregabant in cute ſordes multas, quæ ſunt excrementa craſſiora tertiæ coctionis; quibus obſtruebantur eis oppleti cutanei meatus. Tertiam oppilationis cauſam dicit eſſe multitudinem ciborum; ex multis enim cibis multa proueniunt excrementa in omni coctione, quam ſubeunt; & proinde multæ ſordes in tertia; quæ multitudine ſua non breui tempore, vel etiam prope præcedentem ablutionem poros cutaneos opplent. Quartam cauſam oppilationis aſſerit eſſe frigiditatem ambientis, qua nimirum corrugatur, conſtringiturque cutis, & in ea pori conſtrictione conniuent, atque clauduntur, citra corporis vllius alieni concurſum, aut impactionem. Quintam inquit eſſe ablutionem cum aquis frigidis ſtipticis; quarum

a l. 4. f. 1. tr. 1. c. 33.

* ſubtiliori

vi ſtiptica cutis conſtringitur, vt a frigiditate nimia gelidi ambientis aeris. Oppilationis denique meatuum cutaneorum cauſam ſextam inquit eſſe caliditatem excedentem Solis adurentis; namque nimia caliditas adurens conſtringit cutem, ſicut omnia coriacea contrahit, ac ipſius meatus occludit omnes, illos in ſemetipſos conniuere faciens. Quas omnes atque ſingulas oppilationis cutaneæ cauſas Auicenna didicit ab experientia non ſolum,ſed etiam a Galeno, qui propoſuit eaſdem fere cunctas in libris Methodi, & ad Glauconem, vt antea vidimus. Deinde vero monet Auicennas, ab iiſdem cauſis oppilationem fieri, non in cute ſolum, ſed interius in vijs venarum, & earum ductibus, ac orificijs; quin & in venarum curſibus, & vijs illarum, ſecundo venarum nomine deſignans arterias, in quibus currunt cum impetu ſpiritus; quum in alijs venis mitiore quietioreque ductu ſanguis influat: enimvero per priores venas intelligit non pulſatiles, intra quas lente ſanguis ducitur; per poſteriores autem indicat arterias, quibus curſum impetuoſiorem ac euidentiorem ſpirituoſi ſanguinis attribuit. Admonet autem tertio, quum dicitur febris ephemera ex oppilatione, ſimpliciter enunciato nomine oppilationis, non ſignificari quamcunque febrem ephemeram,ex qualicunque propoſitarum oppilationum prouenientem, ſed eam ſolum, quæ naſcitur ex obſtructione venarum interiori, prout contradiſtinguitur ab obſtructione meatuum extremæ cutis,ſiue extremorum orificiorum venarum ad cutem terminum habentium. Quæ quidem duæ ſpecies obſtructionis in eo diſſident, quod obſtructio meatuum cutis, & extremitatum vaſorum fieri poteſt ab externo frigore ſolo, citra corporis vllius obſtruentis interuentum; at interior viarum in venis obſtructio fieri nequit niſi per interuentum alicuius corporis vena-

rum

rum ductus opplentis. Et quum oppilatio genus analogum ſit ad obſtructionem factam ob impactum corpus aliquod alienum implens, & impediens meatus, & ad anguſtationem ob ſolam pororum occluſionem, conniuentiamque, citra corporis vllius impacti præſentiam; in quo genere præcipuum analogatum eſt oppilatio ex materia quapiam inferciente vias ductuſque vaſorum interiores, minus præcipuum eſt oppilatio ex nuda pororum extimorum adſtrictione, ſine materiæ vllius alienæ concurſu: Quumque nude ſimpliciterque prolatum nomen generis analogi ſemper indicet præcipuum analogatum, ad minus præcipui differentiam; recte conſtituit Auicenna nomine febris ephemeræ ex oppilatione non intelligi niſi factam ex obſtructione ſpeciatim a materia vias venarum interiores inferciente ſimul ac vaſorum orificia replente. Quod illico ſatis explicat, inquiens, plurimum accidere, vt minoretur reſolutio excrementorum in venis exiſtentium, & inde multiplicetur eorundem vaſorum repletio, & augeatur ipſorum coarctatio tam in ductibus, quam in orificijs vaſorum & extremis, & lateralibus; quibus per mutuas anaſtomoſes pulſatilium & non pulſatilium venarum fit aſſidua communicatio; proptereaque priuetur tranſpiratio tam fuliginum extra corpus, quam ſpirituum ex arterijs in venas: indeque plurimus halitus fuliginoſus aggregetur in arterijs; quo non reſoluto, ſed plurimum coaceruato, calor intendatur vltra naturæ modum; qui dum ſubtilem ſpirituum ſubſtantiam in arterijs inflammat, febrem ephemeram conſtituit ex oppilatione, ſiue obſtructione dictam. Addit autem Auicennas immediate: *Quum ergo inflammatur in ſanguine, eſt ſpecies famoſa Synochæ, quam dicemus: & eſt illa, quæ eſt de ſumma febrium humorum; & non eſt propter putredinem, immo eſt propter inflammationem & ebulli-*

tio-

tionem. Quodſi pertranſeat illud ad putredinem, quam facit oppilatio & priuatio reſpirationis, permutatur ad febres putredinis: & huiuſmodi quidem oppilatio aut fit ex multitudine humorum, & ſanguinis: aut ex groſſitudine eorum, aut ex viſcoſitate eorum; aut propter caſum rei de cauſis oppilationis in inſtrumento, non in curſu, immo ſicut frigus conſtringens, aut apoſtema coarctans; aut naſcentia rei; aut aliud de illis, quorum te oportet rememorari. Loquitur ergo nunc Auicenna de febre diaria, quæ fit ex oppilatione propter humorum aut multitudinem, ſanguiniſve copiam nimiam; aut eorumdem craſſitiem, aut viſciditatem; aut propter rem, quæ obſtruat intimam ſubſtantiam partis inſtrumentariæ, non ſolum curſum ductumve vaſorum; ſicuti facit frigus conſtringens venarum ductus, potiſſimum cutaneos; aut apoſtema coarctans etiam vias vaſorum interiorum: Quare ab iſto capite ſatis euidenter excludit ephemeram ex infrigidatione ſimplici natam, ad curandum Candidato noſtro propoſitam. Quam etiam excludit, dum illico ſubiungit: *Et hæc quidem febris de febribus ephemeris parum permutatur ad hecticam; quoniam corpus in ea eſt plurima materiæ. Et in hac febre iterum eſt ſitis, & inflammatio, & adhærentia caliditatis: & vrina media inter igneam.* Nam febris ephemera ex infrigidatione propoſita nude fuit abſque mentione vrinæ, durationis caliditatis febrilis, inflammationis vllius, vlliusve ſitis, aut plenitudinis; & non raro ſi male tractetur, maxime ſi ſanguinis miſſione corpus exſiccetur, facile conuertitur in hecticam. Addit Auicenna de febre diaria ex oppilatione: *Et hæc febris eſt difficilis ad cognoſcendum, cuius ſimilitudo eſt proxima ſimilitudini humorum.* Quare non eſt ephemera pura, ſed quam *b* Galenus, vt antea *c* vidimus, appellauit affectum ancipitem inter ephemeram & putridam, in quem tranſijt

b 8.meth.4 9.meth.c.1 *c* cap.ſup.

ſijt ephemera degenerans tandem in putridam; adeoque difficilis cognitu cuiuſmodi ſpeciei ſit. Subdit; *Et hæc febris quandoque remanet vſque ad diem tertium, & in eo quod poſt ipſum, ſi ſunt oppilationes plurimæ fortes, & non inſpiſſantes, & non condenſantes deforis*. Quibus excluditur apertiſſime diaria ex frigore nata; nam frigus condenſat cutem deforis, & inſpiſſat eam, non autem facit oppilationes vehementes interius; nec ex infrigidatione ſimplici producta febris ephemera perdurat vnquam in diem tertium, aut quartum. Adiungit; *Et ſi ſunt oppilationes paruæ, feſtinat eius eradicatio, ſi non fuerit error*; quod a Galeno didicit aſſerente *d* febrem diariam ex obſtructione parua prouenientem ſolis detergentibus prohiberi ne tranſeat ad ſecundam acceſſionem; quare nec Auicennas iſti phlebotomiam aſſignat. Adijcit: *Et hæc febris inter febres ephemeras quandoque accidit, & redit propter fixionem oppilationis; quæ eſt cauſa quare fiunt ei paroxiſmi*. Quare non eſt vera diaria, ſed ſpuria; quum paroxiſmi non attineant ad veram ephemeram, ſed ad illegitimam. *Et hæc quidem febris multoties permutatur ad frigus, & horripilationem; & ſignificat quod ipſa ſit putrida*. Quid clarius in iſto capite nomine febris ephemeræ ex oppilatione ſignificare nobis Auicennam non veram & ſimplicem diariam, ſed ancipitem affectum per quem ephemera iam tranſiuit fines diariarum, & ad fores putridæ peruenit? nulla namque vera diaria frigus & horripilationem habet; quibus accidentibus non tentatur niſi ſynochus & putrida, & omnino diaria ſpuria. Subiungit ad excluſionem febris noſtræ, quæ poſita fuit ortum habere a cauſa primitiua, nimirum ab externo frigore: *Et cum illa, quæ eſt ex oppilatione facit accidere dolorem poſt phlebotomiam in latere ſiniſtro, non eſt excuſatio iterationis phlebotomiæ; precipue quum ſedatur febris, & perſeue-*

d 8. meth. c. 4.

-iu A

uerat dolor. Signa. Quando accidit febris ephemera non a cauſa primitiua, & eſt longa durationis: tunc exiſtima quod ipſa eſt ex oppilatione: & proprie quando declinat ſine euacuatione, cum humectatione. Et verificant exiſtimationem etiam ſigna repletionis, in corporibus plurimi ſanguinis, & generantibus eum: aut groſſoru m humorum, viſcoſorum. Et differentia quidem inter ea ambo eſt, quoniam ſi oppilationes in eis ſunt propter groſſitudinem humorum, & viſcoſitatem eorum, ſignificant ea ſigna nota eis, & non eſt illis inflatio corporis &c. Ex quibus apparet, Auicennam contradiſtinguere febrem ephemeram ex oppilatione natam, cui præſcribit phlebotomiam, ab ephemera propter cauſam primitiuam; adeoque ab ephemera ex infrigidatione; nam infrigidatio cauſa primitiua eſt, longe diuerſa ab obſtructione propter plenitudinem ſanguinis, & humores craſſos, & viſcidos; qui locum non habent inter cauſas primitiuas. Denique proponens Auicenna curationem ephemeræ febris non a cauſa primitiua, ſed ex obſtructione, dicit: *Cura: Quum cauſa eſt multitudo humorum, & repletio, tunc oportet vt in principio properes ad phlebotomiam, & euacuationem; & vt phlebotomes eum quum iam non febrit, tunc eſt melius.* Præſcribit igitur Auicenna ſanguinis eductionem febrienti ephemera ex humorum multitudine, ac repletione obſtructionem efficiente: talis vero non eſt ephemera ex infrigidatione nata: cui ſicut non conuenit euacuatio per medicamentum purgans, ita neque phlebotomia. Sed quo in principio præcipit Auicenna ſanguinem mittendum in diaria ex obſtructione? non certe in principio acceſſionis exorientis; nam ait iſtud præſidium adhibendum quum iam non febrit, inclinata iam & finita febris acceſſione: ſed quomodo finis acceſſionis in ephemera vera, quæ terminatur acceſſione vnica dicitur principium? Imitatur hic

Aui-

Auicenna Galenum, qui *e* dixerat, Ephemeram aliquando permutari ad putridam, ſed in ipſo tranſitu fieri tertium quoddam genus, ab vtraque febrium extremarum contradiſtinctum, quod abuſu nominis diaria nuncupatur; quum vere diaria proprie non ſit: qui quidem medius & anceps affectus inter diariam & putridam tanquam tertium morbi genus a duobus extremis natura contradiſtinctum, *in ſui primo ortu ſic inhiberi debet* (eductione ſanguinis, vbi plethora ſit, aut humorum purgatione, vbi cacochymia) *ne aut ægre ſanabile, aut inſanabile poſt quam auctum eſt, euadat*, vt antea *f* late notauimus. Sic igitur Auicenna præſcribit eductionem ſanguinis ephemeræ, non ex infrigidatione, ſed ex obſtructione productæ: non a cauſa primitiua, & externa genitæ, ſed ab interna plenitudine, copia ve ſuccorum craſſorum & viſcidorum: eique ſanguinem ducit cum Galeno dum ephemera febris eſſe deſierit, & inceperit in ſynochum degenerare, quæ ſpuria diaria vocatur cum abuſu nominis ephemeræ. Quare ſapienter curatio febris ephemeræ ex infrigidatione fuit inſtituta cum deteſtatione phlebotomiæ ſolo balneorum appropriatorum vſu, & recta diæta. Ad eundem modum Auicenna poſtea curat ephemeram ex nauſeatiua ſatietate & repletione; quam febrem contradiſtinguit a noſtra ex repletione in corpore complexionis calidæ & humidæ, aſſerens: *g De febre ephemera ex nauſeatiua ſatietate, & repletione. Quandoque accidunt ex nauſeatiua ſatietate vapores mali, ex quibus accenditur caliditas, & inflammantur ſpiritus: quare accidit febris, & proprie in corporibus cholericis, & in illis, qui non habeat amplos poros. Nam plurimum ſuperfluitatum eorum vaporat vaporationes fumoſas* &c. Cuius febris curationem fuſe mox inſtituens, denique proponit eductionem ſanguinis, inquiens: *h Et iter quidem ad phlebotomiam eſt, vt non*

e 9. meth. c. 1.

f cap. 25.

g l. 4. f. 1. tr. 1. c. 34.

h cap. 35. f.

fiat in ea, donec declinet: tunc enim fiat. Ceterum iſta febris eſt ab ephemera noſtra ex infrigidatione valde differens; quia cauſam habet internam, multitudinem malorum vaporum; quum noſtra pendeat ex vna cauſa primitiua frigoris externi: phlebotomia poteſt illam plenitudinem malorum vaporum imminuere; non autem tollere, conſtipationem, ſiue condenſationem meatuum cutaneorum violentia frigoris inuectam; quam potius auget, vt *i* antea demonſtrauimus. Quapropter Auicennas inferius *k* ephemeram ex infrigidatione curat abſque ſanguinis miſſione, ſicut etiam olim *l* obſeruauimus.

i cap.13.
k cap.39.
l cap.19.

Rhaſen ex Galeno quoque curare diariam prophylactice phlebotomia, non ortam ex infrigidatione poros cutaneos extrinſecus obſtipante, ſed ſolum ex humoribus craſſis, & glutinoſis meatus intrinſecus obſtruentibus & ex ebrietate. Cap. XXVII.

A Galeno didicit etiam Rhaſes ephemeram febrem curare, quæ quidem ex infrigidatione fit, vnis *a* alterantibus, nempe mollientibus induratam cutem balneis, detergentibus inunctionibus, & aperientibus frictionibus, nulla penitus habita ratione præcauendæ degenerationis eius in febrem putridam, aut ſynochum imputrem, per emiſſionem ſanguinis; de quo periculo nihil metuendum eſſe in caſu noſtro rectiſſime cenſuit. Verum in ephemera ſolum ex obſtructione, quam fecerint humores craſſi, & glutinoſi, qui facile putredine concepta diariam in putridam conuertere poſſunt, optime phlebotomiam admittit: nam vbi ſine miſſione ſanguinis ephemeram ex infrigidatione productam curauit abſque miſſione ſanguinis, alijs octo ſpeciebus ephemerarum abſque phlebotomia pariter propria curatione ſigil-

a 9. ad Al. c.2.

gillatim explicatis, tandem ait: *Quum vero aliquis hanc patitur febrem* ephemeram *ex coriza; quæ ei accidit, phlebotomandus eſt, licet paruum e præcedenti minutione interuenerit ſpatium.* Similiter in ephemera ex ebrietate ſanguinem mittit, paulo antea ſcribens: *Quum autem hæc febris ex multi vini potatione ſuperuenerit, aut fortis & puri: agro aliquid de potibus, quos nominauimus ſimplices, ſcilicet abſque alterius rei commiſtione, dandi ſunt cum aqua frigidiſſima miſti: ex quibus non impetuoſe, ſed paulatim bibat. Quumque febris ſedata fuerit, balneum ingrediatur, in quo moram faciat, in domo temperata ſtando, ſicut oſtendimus: & multa aqua ſuper ipſius caput fundatur. Et nutriatur ex tapſil adeſia citrina infrigidatis, & his ſimilibus ex rebus frigidis, miſtis cum ſucco granatorum, & ſucco rhibes, & vuæ acerbæ, & ſucco & ex piſcibus, qui vocantur Aziæ, coctis cum aceto; & olfaciat oleum violatum, & dormiat diu. Quumque expergefactus fuerit, balneum iterum ingrediatur; & ad prædictum redeat regimen. A vino autem omnino abſtineat, & in potu Rob de fructibus ſumat. Si autem in capite fuerit grauitas, & in oculis rubedo, & extenſio, ſanguis extrahatur cum phlebotomia, & ventoſis: eiusque regimen totum ſit, vt diximus. Venter quoque ex ſucco fructuum ſoluatur.* Ex quibus apparet Rhaſen imperare ſanguinis miſſionem in ephemera ex ebrietate, non quidem omni, ſed in qua fuerit capitis grauitas, & oculorum rubor, atque tumor extendens, ob vaporum multitudinem e vino ad caput elatorum, & ipſum immodice replentium: Quæ quidem ephemera cauſam habet internam; non autem externam ſolum vt noſtra, quam infrigidatio peperit cutaneos meatus obſerans: A quibus vaporibus diaria facile poteſt in ſynochum, & in febrem putridam impelli; quod ne fiat, impeditur eductione ſanguinis. Quæ non poteſt hac ratione conuenire diariæ ex frigore; cui propterea

tale remedium non præſcribit Rhaſes mox de illa tractans, vt antea vidimus.

Augenium admittere phlebotomiam cum Galeno ſolum in ephemeris ex magna obſtructione a cauſa interna pendentibus, non ab externo frigore. Cap. XXVIII.

POſt Galenum, & eum ſecutos Arabes, lubet denique Latinorum vnum, Patauinos inter Lectores Clariſſimum Augenium Anteceſſorem meum de propoſita febris ephemeræ curatione prophylactica loquentem audire. Tractans is ex profeſſo de ſanguinis miſſione, quærit alicubi: a *Quam ob cauſam Galenus octauo Methodi venæ ſectionem propoſuerit in curatione febris Diariæ ab obſtructione. Locus*, ait, *eſt Galeni lib*.8. *methodi medendi, in quo proſequitur rationem curandi febres diarias ab obſtructione genitas, qui videtur maxime opinionem communem confirmare, quod ſcilicet in omni febre putrida ſanguinis miſſio conueniat. Verba Galeni in hunc modum habent*. b *At ſi quidem vel puer, vel ſenex ſit, ſanguinem detrahere non licet: inter has ætates, vbi robur ægro non deeſt, ſecanda vena eſt, etiamſi plenitudinis ſigna non adſint; præſtat enim vitioſi ſucci maiori parte emiſſa, ad detergendas obſtructiones accedere; quum alioquin metus ſit, ſi obſtructionibus liberandis prius quam vacuaueris, ſtudeas, ne ipſas magis impingas. Hæc Galenus, qui ſupponit obſtructionem a viſcidis humoribus factam; ſanguinem tamen mittit: Quomodo igitur hæc cohærere poſſunt cum ijs principijs, quæ ſupra poſuimus? Ego quidem (quamuis non me lateat, quamplurimos eſſe, qui putant Galenum a contradictionis nota vindicari non poſſe) hanc tamen arbitror ſententiam bene, quemadmodum decet, intellectam minime nobis contrariari, atque nullam habere difficultatem. Sed anteaquam de hac dicere aggrediar, primum quædam*

a l.4.c.11.

b 8.met. c.4.

dam

dam volo ſupponere quæ lucem non mediocrem ſunt allatura huic difficultati: horum vnum eſt, Galenum in eo capite docere curationem diariæ febris ab obſtructione, cuius varias conſtituit differentias a varietate cauſarum. Etenim ſi obſtructio ſit exigua, facile ſoluetur febris, ſi maior maiori ſanabitur difficultate; at ſi maxima fuerit: fieri omnino non poſſe profitetur, eam febrem in numero diariarum conſiſtere; ſed in eas terminari febres, quæ plurium ſint dierum; facta ſcilicet in putridas, vel ſynochos degeneratione. Hoc Galeni ſuppoſitum hiſce verbis ſcriptum legitur in principio capitis quarti: ,, *Etenim ſi propter obſtructionem aliquando (vt dictum eſt) morata tranſpiratio eſt, ſi parua ea ſit, qui recte deterſerit, ſecundam fore acceſſionem vetabit:* ,, *In his verbis primam differentiam, ſiue gradum febris huius explanauit. Alium vero, quando dicit: Sin momentanea, non poſſis ita promittere. Tertiam vero maiorem differentiam, quando dicit: Quod ſi & multi, & craſſi, & glutinoſi impacti ſucci ſint; quæ hos excipit febris, fieri non poteſt vt intra fines diariarum conſiſtat; quando ex neceſſitate huic in mali ſucci naturis, quæ ex putredine humorum ſuccedet. Aliud etiam ſupponendum eſt, Obſtructiones eiuſcemodi in corporibus malo ſucco præditis ex neceſſitate putridam concitare febrem, quemadmodum proxime dixit; at in alijs corporibus ſynochum febrem procreare, quando ſcilicet quod tranſpirare ſolet halituoſum, & benignum ſit; vt hiſce verbis manifeſtum facit: Nam in alijs ſaltem temperamentis, quæ in ſequentibus exponam, excitari ex tali cauſa poteſt citra humorum putredinem aliqua continentis febris ſpecies. Poſtremum ſit, Galenum venæ ſectionem admittere non in omni diaria ex obſtructione: ſed ſolum in diaria ex multorum, craſſorum, & viſcidorum humorum copia procreata; quia certe in huiuſcemodi cauſarum complexu a venæ ſectione conuenit exordiri, vt idem autor teſtatur* XI. *meth.c.*VI. *Maiori ſiquidem indigent auxilio, vt accomodata*

fiat

ſiat tranſpiratio: maius vero nullum proportionem habens cum morbo, ipſa phlebotomia inueniri poteſt. Ex his colligo explanationem loci huius, & difficultatis dilucidationem. Nam Galeni propoſitum non eſt curare ſimplicem febrem diariam ex quacunque obſtructione ortam; ſed ex magna obſtructione, atque ex omnium cauſarum obſtruentium complexu: idcirco venæ ſectionem propoſuit, tanquam remedium magnum, proportione reſpondens omnibus cauſis, illarumque magnitudini. Quam vero conueniat hæc explanatio, verba ſuperius poſita apertiſſimum faciunt; & quæ etiam in vndecimo methodi, & paſſim alibi docuit. Nos vero ſuperioribus libris eiuſdem veritatem patefecimus non ſemel, potiſſimum oſtendentes plenitudinem ſcopum eſſe phlebotomiam indicantem. At vero fortaſſis hic dicet quiſpiam Galeni verba huic explicationi refragari, quia videtur admittere adeſſe obſtructionem ex ſolis viſcidis humoribus, citra aliquem affectum plenitudinis, quia dicit: Etiamſi plenitudinis ſigna non adſint: Dico, & aſſeuero, maxime erroneum eſſe in hac materia putare Galenum in febre Diaria ex obſtructione ſanguinis miſſionem conſuluiſſe citra affectum multitudinis; quandoquidem verba ſuperius a nobis explanata contrarium oſtendunt; ratioque ipſa id, quod illi dicunt, admittere non poteſt: Nam ſi maiori auxilio eſt opus vt tranſpiratio fiat; ſique hæc impedita eſt a multis craſſis, viſcidisque humoribus, parua obſtructio eſſe non poteſt, neque imaginari citra multitudinis affectum. Quid igitur ſibi vult in ijs verbis Galenus? vult inquam proponere quod etiam paſſim alibi docuit, multitudinem non eſſe ſcopum indicantem ſanguinis miſſionem; quoniam citra plenitudinis affectum ſanguis mittitur, vbi propoſita reuulſio eſt; ac etiam quia non ſemper præſente plenitudine ſanguis mittendus eſt; quum aliquando ſufficiant imbecilliora remedia: Dicamus itaque hanc ſententiam a Galeno fuiſſe prolatam contra Menodorum, & contra Empiricos; qui nunquam accedendum eſſe

ad

ad miſſionem ſanguinis conſulebant, niſi præſens ſyndromes illa plethorica fuiſſet, quæ excludebant plenitudinem quoad vires, & motum ſanguinis, vt multis explicatum eſt, a nobis ſuperioribus libris. Galenus itaque dicit, mittendum eſſe ſanguinem in obſtructione a viſcidis humoribus facta, ſi adfuerit plenitudo quoad vires; etiam ſi non adſint ſigna plenitudinis quoad vaſa; quam ſignificabant Empirici per ſyndromen illam, congeriemque ſignorum. Hæc expoſitio admodum arridet mihi, & conſona videtur Galeno; quoniam paſſim, vbi de ſanguinis miſſione pertractat, contra Empiricos inuehitur, admittentes hoc auxilium dumtaxat conuenire in multitudine quoad vaſa. Porro hanc ego interpretationem affero, vt oſtendam Galenum ſibi ipſi conſtare, & de vna eademque re varia non conſcripſiſſe: quomodo enim aliter interpretabimur, ſi verum eſt, quod paſſim Galenus tanquam axioma nobis inculcat, Obſtructionem a viſcidis humoribus ſanari abſtergentibus: ab humoribus craſſis, incidentibus: a multitudine vero, ſectione venæ? Erit igitur quoddam commune auxilium ad omnes obſtructiones ſanguinis miſſio? quod quoniam nunquam a Galeno traditum eſt, ego ſane recipere non poſſum. Ceterum meam hanc expoſitionem confirmant ea, quæ dicemus, dum explanabimus Galeni verba in quarto methodi capite ſexto. Sic ergo luculenter Augenius, Antenoreæ Scholæ doctor eximius, cum Galeno ſentit miſſionem ſanguinis non conuenire, vel prophylactice, cunctis ephemeris, præſertimque non ijs, quæ proueniunt ab externo frigore cutaneos meatus addenſante, conſtipanteve; ſed illis tantummodo, quæ fiunt ex obſtructione; non quidem omni, ſed illa ſolum quæ magna ſit, proueniens ab humorum aut multitudine plethoram quoad vaſa corporibus ingerente; aut craſſitie, viſciditateque non parua, plenitudinem ſaltem quoad vires promouente; quum obſtructionem non adeo magnam, quæ ple-

nitudinis vllius cauſa non eſt, curet cum Galeno ſine ſanguinis miſſione ſolis detergentibus, incidentibus, & reſoluentibus. Quare noſtrę Diariæ, pura ex infrigidatione natæ, prohibet nobiſcum phlebotomiam, & imperat balneationes, frictiones, inunctiones appropriatas, cum debita victus ratione.

Reſolutio Quæſiti ſummatim ex traditis colligitur. Cap. XXIX.

Conſtat iam euidentiſſime, Cl. Vir, ex omnibus propoſitis, inſtitutam curationem ephemeræ febris ex infrigidatione in viro conſiſtentis ætatis humidi temperamenti circa finem hiemis, per abdicationem phlebotomiæ, ſolis balneis & alijs remedijs aperientibus occluſos meatus cutis, non fuiſſe hæreſim in Medicina, neque contrariam ſententiæ Claſſicorum tum Veterum, & Græcorum, & Arabum, & Latinorum, potiſſimum qui cum laude Medicam facultatem docuerunt in Archigymnaſio Patauino; ſed communem omnium Medicinæ Principum ſententiam. Conſtat item, rectiſſime fuiſſe prætermiſſam præſeruationem a putrida per ſanguinis miſſionem; tum quod expoſtulauit a Candidato Cl. Collegij Doctor Caſum proponens curationem ſimplicem affectus propoſiti, non eius præſeruationem a grauiori malo: tum quia nullum imminet periculum futuræ ſynochi, vel putridæ in corpore conſtipato ab externa frigiditate, quod ſine nota plenitudinis vllius, neque quoad vires, neque quoad vaſa, ſineque mentione cacochymiæ propoſitum fuit in ætate conſiſtente complexionis calidæ ac humidæ ſimpliciter: tum maxime quod Galenus in ephemera ſimplici, qualis eſt propoſita, nunquam admittit ſanguinis miſſionem; ſed in ſpuria tantum, in quam

tran-

tranſijt ephemera ex obſtructione propter ſuccorum, & multorum, & craſſorum, & viſcidorum præſentiam; cuiuſmodi non habentur in caſu noſtro; talemque Galeni doctrinam ſectati fuerunt Arabes, & Latini Claſſici cuncti; ſic obſeruauit Candidatus hortatu Promotoris.

Hæc ſunt, optime vir, quæ mihi reſpondenda fuerant tuo Quæſito. Tu ea boni conſule, ac me ama. Dabam Patauij e meo Scalumnæ Muſeo.

Hippocrates aſſerens mulieres eſſe viris calidiores, quomodo ſit intelligendus, Quæritur. Cap. XXX.

Cl. atque Excellentiſs. Viro D. Fortunio Liceto Theoricæ Medicæ in Suprema Sede profeſſori celeberrimo Ioannes Veſlingius S. P.

Feriamur, Cl. Vir, non otiamur; & in his ſolemnium laborum inducijs reperimus, quod oculis pariter atque animo negotium exhibet. Idque vel eo frequentius, quo attentius Veterum ſcriptis excolendis mentem occupamus. Verſabar ante paucos dies in lectione libri primi Hippocratis de Morbis mulierum; eximio illo, & res ſexum ſegniorem concernentes, curioſe & eleganter perſequente. Vix vltra principij gradus oculos promoueram, cum in hæc verba inciderem: *Vt ſanguine corpus mulieris expletum fuerit, niſi ab eo aliquid decedat, carnibus repletis & concalefactis dolor oboritur. Calidiorem enim ſanguinem mulier habet; ideoque viro calidior eſt*. Fateor, humaniſſime vir, hæſiſſe me pluſculum, quum hæc legerem; neque aliter quam, vt olim doctiſſimus a Veiga, iudicare de hoc potuiſſe: ſcilicet non eſſe genuina. Repugnant enim aduerſa fronte ijs, quæ l. 1. de Diæta, l. de Genitura, & vi. epidem. prudentiſſimus ſenex do-

cuerat. Et quidem vere frigidior temperamento femina ſit, quæ Hippocrate ipſo ſententiam ferente, producitur è ſemine, quod ſiniſter teſticulus ſuppeditauit: quod in ſiniſtro vteri latere concipitur: quæ tardius in vtero cum creſcit, tum mouetur: difficilius geſtatur, male fere affecta matre, & decolore: quæque longioribus lochiorum faſtidijs obnoxiam genitricem fecit. Addo mulierem breuioris eſſe ſtaturæ, partibusque omnibus exiliorem eſſe viro, minores obtinere venas, habitumque corporis mollem, laxum, glabrum, albidum. Nec frigoris, nec caloris ſatis patientem, viribus debiliorem, non ambidextram, & tam in caniciem, quam morbos, ætatemque ſenectam proniorem obſeruari. Quum ad animi mores reſpicimus, ægri inſtar, moroſam agnoſcimus, illiberalem, inconſtantem, timidam, vulpeculæ inſtar verſutam, vt abunde ſit cur exclames cum Marone,

——————— *varium & mutabile ſemper*
Femina. ——

Tueri dignitatem auctoris, & ſententiæ veritatem conatus Proſper Macrianus: ſed vereor ne ſatis ſtrenue. Quamuis enim ipſi concedam, non ſanam mulierem viro ſano comparari, ſed e ſuppreſſis menſtruis male affectam, atque vt textus loquitur Hippocraticus, ὑπὸ πλη-θώρης ὑπερζεουμένην, *ob plenitudinem* (a retento ſanguine) *exæſtuantem*. Minime tamen viro doctiſſimo dabo, exuberantem hunc ſanguinem calidiſſimum eſſe, niſi ex accidente id contingat, & cum putredini propinquior eſt. Tuum fuerit Cl. Vir, quid hic genuinum, quidve ſpurium ſit, qua cognitus orbi es, egregia ingenij perſpicacitate dignoſcere, meque cum Aeſculapica poſteritate æternum tibi deuincire. Vale.

Patauij xv. Iunij M DC XLVIII.

Re-

Reſponſio Liceti, cenſentis locum Hippocraticum eſſe genuinum, veritatique conſentire de ſexuum temperamentis, abſque contradictione locorum aliorum Coi decernentis ex aduerſo mulieres eſſe viris frigidiores. Cap. XXXI.

Primario Patauinæ Scholæ Anatomico, Botanicoque Clariſſimo D. Ioanni Veſlingio Eq. Fortunius Licetus B. A.

NÆ, vir eximie, nodum mihi ſoluendum affers, quem paſſim fere omnes Medici clariores cum Veiga, ſcindunt, non ſoluunt, negantes iſtam ſententiam de muliebri temperamento calidiore ſupra maſculeum eſſe genuinam Hippocratis, vt vt ſit appoſita & aduentitia genuino Coi volumini de Mulierum morbis; quod opus inter Hippocratica recenſet Erotianus, atque Galenus, ijs conſentiente Fœſio. Ceterum ego videns iſtiuſmodi ſententiam non afferri nude ac incidenter, ſed luculenta demonſtratione per experimenta confirmari, ſimul & tanquam præcipuum fundamentum dicendorum de morbis mulierum ab Hippocrate proponi, communi placito non poſſum acquieſcere, dogma neganti verum ac Hippocraticum eſſe. Meum vero cogitatum vt in præſentia tibi confirmem, operæpretium fore duco, ſententiam Hippocratis integram ex alto referre, ſimul & ex rei natura demonſtrare duplicem ineſſe muliebri corpori temperaturam in latitudine ſanitatis, vnam quidem eſſentialem atque primordialem ab ortu naturæ, frigidiorem temperamento virili; de qua tractauit Hippocrates libris de Diæta, de Genitura, & Epidemiorum abs te citatis; quam confirmare videntur pleræque rationum tuarum: alteram vero poſt ortum aduentitiam, & acci-

dentariam, quæ facile morbos muliebres inducere poteſt, de qua Cous in allato primo De Morbis mulierum in hæc verba: *Dico mulierem rariore carne præditam, & teneriorem eſſe, quam virum: & hæc res ſic ſe habet. A ventre trahit humiditatem & citius & magis corpus mulieris, quam viri; etenim ſi quis ſuper aqua, & per regionem aquoſam duobus diebus ac duabus noctibus molles lanas ponat, & veſtem puram & contextam, æquali ad lanas pondere: ſublatis vtriſque apponderatione facta, multo grauiores lanas comperiet, quam veſtem. Fit autem hoc ex eo, quod ſemper ab aqua ſurſum decedit in vaſa ampliora oſcula habentia: & lanæ quidem, tanquam laxæ & molles, ex decedente amplius ſuſcipiunt: veſtis autem, vt quæ plena eſt, & ex contextu obturata, explebitur non multum ex decedente aqua recipiens. Sic ſane etiam mulier, veluti quæ rarior eſt, ampliorem ex ventre humiditatem corpori attrahit, & citius quam vir: & tanquam teneriori carne præditæ mulieri, vbi corpus ſanguine expletum fuerit, ſi non ab ipſo ſeceſſerit, carnibus impletis & calefactis, dolor oboritur. Habet enim mulier ſanguinem calidiorem; & propterea calidior eſt, quam vir. Si vero amplior accedens ſanguis ſeceſſerit, dolor non fit a ſanguine, neque calor. Vir autem, vt qui ſolidiore carne præditus eſt, quam mulier, neque in ſuperna ventris parte adeo ſanguine ſuperimpletur, vt niſi aliquid ſanguinis ſingulis menſibus ſecedat, dolorem fieri neceſſe ſit: & ſanguinis quantum ſatis eſt ad nutrimentum trahit: & quum corpus ipſi non ſit tenerum, non dolore affligitur, neque ſupercaleſcit a plenitudine, velut mulier. Multum autem confert ad hoc viro, quod magis laborat, quam mulier; nam labor aliquid humoris abducit. Poſtquam igitur mulieri, quæ non peperit, occultati fuerint menſes, & viam foras reperire non potuerint, morbus fit.* Quam quidem Hippocratis doctrinam lubet aperire magis ex conſimili de pulmonibus ab Auicenna tradita, dum ait,

agens

agens de complexionibus membrorum: *a Scire autem debes, quod pulmo in ſui ſubſtantia & natura non eſt humidus vehementi humiditate. Omnis enim complexio membri naturalis ſimilis eſt ei, quo nutritur: & ſecundum ſuam accidentalem complexionem aſſimilatur ei, quod in ipſo ſuperfluit. Pulmo autem nutritur calidiſſimo ſanguine, & multæ admiſto choleræ; & hoc quidem ipſemet Galenus nos docet. In ipſo vero multa humiditatis ſuperfluitas colligitur, propter illud, quod ad ipſum aſcendit de vapore corporis: & propter illud, quod ad ipſum deſcendit de catarrhis. Poſtquam igitur ſic eſt res; hepar multo magis humidum eſt pulmone, humiditate naturali: & pulmo magis eſt madefactus: Licet humiditatis mora ipſum etiam in ſui ſubſtantia molliorem fecerit. Et diſpoſitio phlegmatis & ſanguinis ita intelligendæ ſunt: phlegmatis namque humectatio eſt ſecundum modum madefaciendi; & ſanguinis humectatio eſt ſecundum modum augmentum faciendi in ſubſtantia.* Quemadmodum ergo recte nunc Auicenna pulmonis duplicem agnoſcit complexionem; vnam quidem ſibi naturalem, ac eſſentialem calidiorem atque ſicciorem temperamento Iecoris; quia nutritur ſanguine bilioſo, ex quo primum in ortu ſuo conſtitutus eſt: alteram autem accidentalem, & aduentitiam ob vaporum humidiorum ad eius raram & mollem ſubſtantiam aſcenſum ex imo ventre, in quo multæ concoctiones alimenti fiunt, euaporationem ſurſum non modicam halantes: & ob pituitæ deſcenſum a cerebro, quod *b* Hippocrates appellat apte metropolim ac ſedem frigidi & glutinoſi, quæ duo humiditatum genera pulmoni conciliant adſcititiam & accidentariam temperaturam humidiorem complexione Iecoris. Ita dudum Hippocrates geminam in ſexu muliebri temperaturam obſeruauit; vnam quidem primigeniam, eſſentialem, atque naturalem, per ſe corpori muliebri conuenientem ab

a l. 1. f. 1. d. 4. c. 2.

b lib. de carnib.

ortu naturæ, frigidiorem temperamento viri; de qua tractauit agens de Diæta, de Genitura, & morbis popularibus, vt optime nunc obſeruas, eximie vir: alteram vero Cous animaduertit in corpore femineo peragens de morbis mulierum, accidentalem, ex tenuioris halituoſi ſanguinis vaporibus ex imo ventre delatis & infarctis in raram carnium muliebrium ſubſtantiam; quæ ſuſceptis vaporibus iſtis calidioribus, vt pote nixis tenuiori parte ſanguinis, acquirit complexionem calidiorem eſſentiali temperie virorum. Et reuera nemo non accipiet veram Auicennæ doctrinam de duplici pulmonum complexione; quarum vna ſit eſſentialis, quam ſortitur viſcus id in prima ſui generatione, poſteriuſque ſibi conſeruat alimento congruo per vniuerſam vitam; etenim alimento tribuit *c* Ariſtoteles vim conſeruandi naturam viuentis; quod ex iiſdem alitur, ex quibus in ortu *d* conſtitutum fuit: & quoad iſtam complexionem concedendum eſt Auicennæ, pulmonem eſſe Iecore minus humidum. Sed quia Medicus eſt artifex ſenſatus, & maxime verſans circa qualitates ſenſibiles partium, adeoque circa temperaturam accidentalem, quæ ſenſibilior eſt eſſentiali, & in membris maximopere viget; quum pulmo collocatus in thorace ſit, ventre medio ſub capite, ſupra epigaſtrium, in quo collocatur hepar officina ſanguinis; & quaſi medium intra ſui lobos cor amplectatur in pectore: quumque ſit ob ſuæ ſubſtantiæ mollitiem, laxitatem, raritatem, atque flacciditatem, debilioris actiuitatis, ac minoris reſiſtentiæ; propterea facile ſuſcipit in ſe deſcendentes a capite cunctas humiditates catarrhales, pariter & aſcendentes ab imi ventris coctionibus humidas euaporationes, veluti ſpongia, vel Hippocraticæ lanæ laxiores; quas humiditates quum nequeat ita facile depellere a ſui ſubſtantia; hæ quidem humiditates ob ſui

c 2. de an. t. 47.
d 2. de gen. t. 50.

fere

fere continuam receptionem, & moram in pulmone, complexionem humidam aduentitiam in viſcere procreant, & conſeruant; accidentalem quidem, ſed quæ ob diuturnam moram intime pulmonis ſubſtantiam afficiat. Quod autem de pulmonis complexione ſcribit Auicenna in relatione ad hepar; idipſum Hippocrates fere decernit de temperatura corporis muliebris ad virile comparati; recteque conſtituit mulieres eſſe viris calidiores per accidens, non autem per ſe; ſanguinemque calidiorem habere, non illum, quo nutriuntur; ſed quo carnes mulierum laxæ replentur, euaporato de coctionibus interioribus: non illo, qui per venas & arterias a partibus alendis attrahitur; ſed illo, qui vaporoſus ex neceſſitate materiæ ſurſum fertur a locis coctionis per poroſitates, & laxitates partium, qua data via, in carnium muliebrium raram texturam, mollemque ſubſtantiam; veluti vaporoſus humor de ſubiecto lacu in ſuſpenſas lanas: nam vti certum eſt, ex humidis locis in rariores lanas atque ſpongias recipi plus humidi vaporoſi ſurgentis, quam in veſtes textura denſiores, pari pondere ſuſpenſas, ob ſolam maiorem lanarum laxitatem: ita de ventre, qui continet in ſe ſanguinis humidam maſſam vaporoſam, circumfuſæ partes carneæ corporis muliebris rariores, laxiores, ac molliores, multo plus vaporoſi ſanguinis in ſe recipiunt, quam denſiores, compactiores, durioresque carnes corporis virilis. Qui ſane ſanguis halituoſus, quum tenuior portio ſit maſſæ ſanguineæ, calidior eſt reliquo ſanguine craſſiore contento in venis; nam iſte vaporoſus maxime replet inania rariorum carnium ſpatia; proindeque non concedens in alimentum corporis muliebris, ipſum ſupercalefacit, & dolores efficit, niſi menſtruis purgationibus extra corpus pellatur: etſi multa ſanguinis huius halituoſi portio, vi

temperamenti naturalis mulierum abeat in adipem concreſcens in pinguedinem, qua ſubſtantia pingui muliebre corpus abundat valde ſupra virile. Ceterum halituoſus ille ſanguis tenuior & calidior exceptus in laxitates carnium muliebrium, ibique conſeruatus, nullo laborioſæ vitæ exercitio conſumptus, calores efficiens, & dolores in vniuerſo corporis habitu mulierum, difficiles menſes habentium; rationabiliter alterat muliebre corpus ad calidam qualitatem ſupra calorem corporis virilis; quod talem abundantiam halituoſi ſanguinis non coaceruat in carnium poris. Quare complexio calidior iſta, quam conſiderat Hippocrates agens de morbis mulierum, non eſt eſſentialis, ſed accidentalis; non tamen morboſa (quod ait Macrianus) ſed in latitudine ſanitatis; vt humidior pulmonum complexio: Licet ad morboſam propendeat, & in eam facile degeneret ex menſium ſuppreſſione, vt admonet Hippocrates. Non habetur autem in viris iſta temperies accidentalis calidior, quibus corpora ſunt denſiora, veſtium conteſtarum inſtar; proindeque ſuſcipere nata paucum ſanguinis halitum; quem etiam valde conſumunt exercitijs vehementioribus: quocirca viri corpus ab huiuſmodi vapore calidiorem qualitatem non acquirit; & exiguus halitus ille, ſi qui congeritur in poris carnium viri, nullam doloris moleſtiam promouet, vt in mulieribus, quarum carnes laxiores magis implentur halituoſo ſanguine; cuius earum vita ſedentaria, & otioſa, validis motibus non exercita, nihil aut parum admodum abſumit, ſed magnam partem in adipes conuertit, caloris eius accidentarij tenaces. Verum & ab huiuſcemodi ſanguinis halituoſi caliditate accidentali mulieres efficiuntur inconſtantes, ad iram pronæ, ſimul & ad venerem. Quam ſane mulierum caliditatem maiorem caliditate virili, non eſſentialem, ſed

ac-

accidentariam in opere de morbis ab Hippocrate recte propoſitam, & confirmatam, non euertunt illæ rationes, quas tu, vir eximie, proponis in confirmationem frigidioris temperaturæ ſupra complexionem virorum; nam ſimul in eodem corpore comperiri valet complexio accidentaria calidior virili, & eſſentialis frigidior virili, quam & Hippocrates alibi coluit in locis abs te prolatis, & tuæ rationes apte confirmant.

Hæc ea ſunt, egregie vir, quæ mihi nunc ad calamum venere, tuo difficili Quæſito reſpondenda: Tu pro tua doctrina & humanitate, corrige ſphalmata, meosque conatus æqui bonique conſule. Vale & me ama. Dabam e meo Scalumnæ Muſeo.

Peroratio. Cap. XXXII.

ISta de mortualibus, deque morboſis nuperis Quæſitis, tumultuaria quadam ſcriptione dare potui viris eruditis. Quæ cuncta ſubijcio lubens cenſuræ Patrum Orthodoxorum S. R. E. nihil horum probans, niſi quæ non fuerint ab ipſis improbata. Iam vero me nunc accingo ad adornandum volumen Reſponſorum de Septimo-Quæſitis, fauente Numine, cui laus & gloria perennis.

PRO IMPRESSIONE.

Nos Frater Iulius Miſſinus Vrbeuetanus Ordinis S. Franciſci Minorum Conuentualium, Artium, & Sacræ Theologiæ Doctor, in Ciuitatibus, & Diœceſibus Aquileiæ, & Concordiæ Inquiſitor Generalis à Sancta Sede Apoſtolicà contra hæreticam prauitatem ſpecialiter delegatus, libenter annuimus, vt typis demandentur duo præſentes libri inſcripti alter de Quinto, alter verò de Sexto Quæſitis per Epiſtolas Clarorum Virorum Reſponſa Fortunij Liceti Genuenſis ex L. Com. in Archigymnaſio Patauino Medici Theorici ſupremæ Cathedræ, cum in illis nil repertum fuerit, quod vel Sacroſanctæ Fidei Catholicæ, vel bonis moribus aduerſetur. In quorum fidem &c.

Datum in Ciuitate Vtinenſi apud Ædes Sanctiſſimæ Inquiſitionis infra ſepta Monaſterij S. Franciſci Interioris hac die prima Februarij 1648.

Ita eſt F. Iulius Miſſinus Inquiſitor qui ſupra manu propria.

Noi Reformatori del Studio di Padoua.

Hauendo veduto per fede del R. P. Inquiſitor di Vdine, che nelli libri intitolati De Quinto, & Sexto Quæſitis per Epiſtolas Reſponſa Fortunij Liceti, non ſi contiene coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, Concedemo licenza, che ſian ſtampati, douendoſi oſſeruar le leggi in queſta materia, e preſentarne due copie per le librarie publiche di Venetia, e di Padoua. In quor. fid.

Dat. li 18. *Febraro* 1648.

§ Pietro Foſcarini Caualier, Reformator.

§ Angelo Contarini Caualier, Proc.r Reform.r

§

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Aluiſe Querini Segretario.

Digitized by Google

Mi Lector errata corrige.

Pag.3.lin.13.Liceti De-Liceti: De.27.præſtantiores-præſtantioris.10.6.
ſimil-ſimili.22.10.ea,-ea,quæ.28.10.vniuerſali-vniuerſale.33.21.omnes-
omnis.45.14.poſuit poſſit.51.18.motiſſimum-notiſſimum.55.5.tenebris-
tenebras.61.31.illaque Atum-illaqueatum.62.26.ſimbolis-ſymbolis.ibid.
contexerunt-contexuerunt.66 20.raptos-raptus.68.2.pœnitentiam-pro-
uidentiam.ibid.5.motuum-mortuum.69.2.poſſumus-poſſum.70.2.lutus-
latus.70.11.extitiſſe-extitiſſet.ibid.Bacchus-Bacchum.70.30.ſalẽ-ſaltem.
71.figura.Sed-figura;ſed.80.17.corporib.-perſonis.88.1.eo-ex.91.29.qua-
cunque-quæcunque.92.16 pareat-parent.93.17.ſeparatam-ſeparara.95.
10.vitę,-vitę 98.9.phyſicæ non phyſice.100.19.poſſet poſſit.ibid.21.cum-
eam.121.1.eroganda-erogandæ.121.5.diuitia diuitiæ.127.19.ij.-vnc.ij.-
129.13.deſidenti-deſidendi.137.27.quatenus quaternas.137.32.citatione-
citatiore.138.25.virtus-viſus.140.23.Epidemij Epidemijs.142.18 & fri-
ctionibus: primum de- frictionibus, inunctionibus, rectaque diæta curan-
dum: & primum agitur de.149.32.acceſſione-accenſione.161.30.obſtinuit-
abſtinuit.166.10.expectans-ſpectans.172.13.prophylaſticę-prophylacticæ
173.1.nulla-nullam.179.18;exiſtit-exiſtit;181.3.quarum-quorum.182.10.
in affectum ab illa reipſa diſtinctum-affectus ab illa reipſa diſtincti.184.10.
egreſſus-egreſſas.185 9.his-is.186.26. Auicenna-Auicennam.187.32.alie-
ni-alium.193.30.habeat-habeant.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google